Ex dono auctoris

DE

ECCLESIA

Septempedana



MACERATÆ
EX OFFICINA ALEXANDRI MANCINI
1837.

DE ECCLESIA SEPTEMPEDANA

LIBRI III.

AUCTORE

JOANNE CAROLO CAN. GENTILIO

E SANCTOSEVERINO

Pars Prima



MACERATÆ 1836.

EX OFFICINA ALEXANDRI MANCINI

Superiorum Permissu

Hic sacra, hic genus, hic majorum multa vestigia.

(*Cic. de Leg. Lib.* 2.)

BERNARDINO LUTIO
EX MARCHIONIBUS VOTALARCÆ

ANTISTITI URBANO

Liberianae Basilicae Canonico

UTRIUSQUE ANNONÆ PRÆSIDI ETC.

Joannes Carolus Can. Gentilius

Magnam, atque incredibilem patriae necessitudinem infixam haerere tibi in animo alacres et laeti inter nos gratulamur. Verum non ea sunt beneficia tua, ut includantur omnium nostrum memoria licet gratissima. Testari nos illa posteritati omni par est: idque me potissimum decet, qui non modo civis tuus sim, sed etiam multis nominibus Tibi obstrictior. Et illud mihi sane percommodum accidit, quod Septempedanorum historiam illustrandam, augendamque susceperim,

eamque e praelis emergentem offerre me Tibi licet, cum tuorum in nos meritorum, tum nostrae tibi devinctissimae voluntatis testimonium. Antiquas civium res modo augeri, modo minui, nec easdem perpetuo esse videbis. Mox, imperii sede in Graeciam translata, crebrae Italiae vastationes consequentur. Hinc ipsam quasi patriae memoriam funditus deletam plorabis, nec illi suum esse honorem restitutum nisi sero. Nam cum exteros mores italici caeli temperies aliquando ad humanitatem

deflexerit; paululum et res nostras sustulisse laetaberis. Antequam vero ob factionum tempestates aliqua pacis spes affulgeat, prospicies quid indulgentia principum peccaverit, quidve audacia. Tuas saepe virtutes his in chartis reperies: tua in civibus facta miraberis. Tua igitur interest, ut jam nunc faveas patriae gesta quacunque ratione narrantibus; uti libentius, quae recitant, colloquenti inter se juventuti argumento sint, indeque, quod est optandum potissimum, edoceatur. Fa-

xit interim Marchesina, sanctissima illa tui generis foemina; faxint, qui in hac opella percensentur, caeteri spectatae cujusdam virtutis fama praestantiores viri, ut illorum precibus te patria, te romana res, animo pariter, et dignitate florentem, incolumem, et beatum quam diutissime habeat. Vale.

Septempeda kalendis Julii 1836.

PRÆFATIO

Multa, ac varia de sacris Septempedanorum rebus extant; nec cujusvis est civis, aut perlegere omnia, aut in ordinem redigere, aut memoria custodire. Quo fit, ut complures ab earum lectione abhorreant, multi earum summam desiderent, ubi res maxime memorabiles breviter, atque ordine comprehendantur. Quare ego non invitus feci, tum civium causa, tum mea, ut hanc qualemcumque Ecclesiae Septempedanae historiam contexerem, duabus, nec inutilibus, ut spero, partibus complexam. Feci etiam, ut praecipuos cu-

jusque rei adscriberem auctores, fontesque indicarem, unde scilicet, si cui libitum foret, eadem illa uberius liceret haurire. Mihi latius quandoque placuit vagari, et quodcumque memoratu dignum colligere, et, ubi opus esset, explanatione illustrare. Diplomata, vetustasque membranas in volumen diligentissime a Bernardino Crivellio *perstrictas, et caetera, quibus etiam historia haec nostra innititur, quaeve* Ferdinandus Ughellius, Joannes Baptista Cancellottus, Octavius Turchius, Bernardus Gentilius de Rovellono, *aliique cursim ediderunt, suis locis vel indicavi, vel obtruncata ita attuli, ut, quae ad rem facere viderentur, decerperem, reliqua praetermitterem. Quoniam vero plurima non tam Antistitum, quam Ecclesiae propria esse videntur; idcirco convenientius duxi nonnullarum rerum genera partiri, eaque a suis initiis usque ad*

exitum perducere, et, ad eorum chronotaxim illustrandam, rem civilem tantisper degustare. Imo res, quae primaevis praesertim saeculis pertractantur, non ita nostrates sunt, ut latius saepe necessario non pateant, atque ad historiam universam minime pertineant. Multa etiam inedita hactenus monumenta edentur, quae acceptissima civibus futura esse minime dubito. Si manca vero, et hiulca identidem res ipsa invenietur, id ex monumentorum, scriptorumque defectu vel inopia evenisse, satis cuicumque persuasum esse puto.

Sed antequam ea, quae de Ecclesia dicturi sumus, legenda quisque suscipiat, oro, ut dissertationes tres, quae rebus sacris praemittuntur, lustrare velit, in quibus nempe de civili Septempedanorum historia breviter dicam. Nec quis extra orbitam excurrisse me judicet, praesertim cum de ea

edenda cogitaverint, sed scriptam tantum reliquerint, comes Leonardus Franchius, Valerius Cancellottus, *et* Hieronimus Talpa, *a quibus, nisi evidens urgebit argumentorum vis, minime recedendum duxi, cum auctoribus de rebus patriis disserentibus non sit fides deneganda, nisi certo constet de eorum inscitia, de mala fide, de contradictionibus, de erroribus, quos narrando praetulerint. Insuper integris potius ac solidis, quam fractis numeris et imminutis justa per intervalla rerum memorabilium tempora, uti rebus in sacris, notanda putavi; quo et memoriae imbecillitati, et temporum varietati servirem quam maxime. Sciat tandem quisque,* comitem Severinum Servantium-Collium, Germanum Margaruccium, *et* Josephum Ranaldium, *qui nostratium rerum habentur merito peritissimi, quique meas aliquid semper putarunt nugas, me perpulisse, ut, quod*

privatum bonum esse volueram, paterer esse commune, et, quod inchoatum circumferri videbam, absolutum prodire in manus civium sinerem. En igitur dissertationum argumenta.

I. De prisca Septempedanorum civitate.

II. De antiquis Septempedanorum monumentis.

III. De nova Septempedanorum civitate.

DE ANTIQUA ET NOVA
Septempedanorum Civitate.
DISSERTATIONES TRES

I.

De prisca Septempedanorum Civitate.

Percupidis gloriae, ac doctrinae hominibus majori quidquam incitamento et virtutis, et laboris esse non potest, quam si patriae gloriam propositam sibi esse animadvertant. Sic maximo totius Graeciae conventu, ludis olympiacis, celebratae potissimum fuerunt civitates Graecorum, quod earum laudibus fortes viri, veluti quibusdam stimulis, ad olympia certamina concitarentur, iisdemque laudibus, uti praemiis, si forte victores evasissent, donarentur. Sic Pindarus, quum Xenophontem corinthium olympionicam virum fortissimum exornare laudibus vellet, ipsam illius patriam in caelum efferendam suscepit. Ita igitur mihi jam inde ab aliquot annis, si licet grandibus

uti exemplis in parvo, vobiscum agendum arbitratus sum, cives, ut laudibus vos vestris ad omnia virtutis studia vehementius provocarem, atque incenderem: dum meas esse partes duxi id efficere, ut sciretis quidquid de patria vestra in vetustioribus literarum monumentis positum inveniri potest. Et si forsan paulo fusius res aliquandiu commemoravero; hoc unum animadvertatis contendo, municipalem historiam utiliter nunquam scribi posse, et comiter legi, nisi publicis rebus privatae devinciantur.

In ea Piceni parte, qua Potentia flumen mitissime perfluit, in planitie non longe ab Appenninis montibus, cui aeris, amaenitatis, et fertilitatis laus est deferenda, quam agro Piceno tribuit Livius, Strabo, Martialis, aliique; *Septempedam* (1) fuisse majores nostri

---

(1) Strabo lib. 5. et 8. — Plinius lib. 3. cap. 12. 13. — Claudius Tolom. in 6. tab. Eur. — Iginus Libertus Augusti. — Frontinus de coloniis romanis. — Balbus Mensor. — Tab. Peutingerianae. — Urbicus. — Ortelius Thesaur. geogr. — Sigonius de regno italico lib. 1. — Recisperius. — Baccius de natur. vin. lib. 3. — Merula cosmog. p. 2. lib. 4. — Albertius descript. Italiae. — Blondus dec. 1. — Nigrius geogr. com. 7. — Pranzonus de laudibus Piceni. — Antonellus Hist. Ascul. lib. 2. — Cluverius lib. 2. — Cellarius geogr., aliique.

per manus usque ad haec tempora tradidere, uno fere milliario haud procul a situ, in quo modo *Septempeda nova* seu *Sanctiseverini* civitas assurgit (1). Et revera adhuc conspiciuntur maceries durissimae structurae, et lapilli fluviatiles ita conglutinati, ut unam materiam verius diceres, aeque ac perantiquae urbis fundamenta a villicis terram altius fodientibus saepe saepius reperta. Ex iis addiscimus, illud structurae genus apud Septempedanos in usu fuisse, quod tophis seu lapidibus inaequalibus constabat, rombi potius, quam quadrati formam praeseferentibus. Ut autem opus firmius consisteret, atque parietes externam quoque faciem intuentium oculis praestantiorem praeberent; usum ipsi progressu temporis receperunt, ut passim rudera fidem faciunt, coctos lateres eidem operi superinducere. Sed utriusque structurae genus apud eos in desuetudinem abiit, et, nonnisi lateribus jacentibus, tenacique calce coagmentatis, sive minoribus,

(1) Eudo episcopus Camerini in diplomate lato anno 994. relat. a Muratorio. — Caelestinus III. in bulla an. 1198. — Gregorius IX. in bulla an. 1228 — Berlingherius geogr. cap. 14. — Itin. Ant. Pii, aliique.

qui laterculi vocabantur, sive majoribus, quos frondatos appellavit Plinius, (1) aedificia constructa fuere, patentibus ubique figulinis, ubi dominorum ac saepe consulum nomina in lateribus inscribebantur, quibus non semel consulares fasti sunt emendati, et ad nostros illustrandos oportuni caderent, si barbarorum immanitate, aut civium socordia non periissent omnes. Ex iis autem consequitur, ut facile conjiciatur aetas tempusque, quo Oppidum fuit constructum atque prolatum. Nam quae somniarunt aliqui de urbium conditoribus, deque aliis populis, qui saeculis multis ante Romam conditam floruerint, quis hoc tempore commemorare audeat? Fuit olim (2) istiusmodi fabellis pretium; nunc una veritas exquiritur et probatur. Esse tamen Septempedam longe antiquissimam neminem negaturum credo.

Nomen ipsum varias tulit mutationes, ita ferente temporum usu, apud quem summa est potestas in linguis, hominumque sermone.

---

(1) Lib. 36.

(2) Consule opus cl. Micali typis evulgatum anno 1832.

Alii enim (1) *Septempedam*, alii (2) *Septimpedon*, *Septimpedem* (3) alii nominarunt: ejus vero incolae a Plinio *Septempedani* sunt dicti. Hanc igitur nominis mutationem post Plinii aetatem accidisse arbitror: nam omnes, qui vix ullam antiquitatis cognitionem habent, norunt, quarto in primis, quinto, et sequentibus aliquot saeculis a Christo nato pro una passim alteram usurpari literam consuevisse. Neque devexiori solum aevo, sed, adhuc florente lingua latina, hujusmodi transmutatio cepit obtinere. Imo pronum maxime fuit librariis in antiquis voluminibus exscribendis depravare, et pervertere nomen, quod neque ipsi unquam audierant, et, cujusmodi esset, utpote jamdiu obsoletum, ignorabant.

De Septempedanorum rebus ante Picentum foedus cum romanis initum quid dicam non habeo. Nam ante annum 453. ab urbe condita, A.U.C 453

(1) Itin. Ant. Pii. — Munsterius cosmog. — Boccart. et Bardettus de lin. et prim. incol. Italiae. — Compagnonus reg. Pic. — Civallus vis. trien.

(2) I. B. Cancellottus in vit. S. Severini Episc. lib. 3. — Pranzonus de laud. Marchiae.

(3) Bremond. bull. Ord. Praed. vol. 3.

T. Manlio Torquato, et M. Fulvio Petilio consulibus, frustra quaero (1) ex historia, quomodo Septempedani una cum Picentibus societatem illam percusserint, quae, teste Sigonio, ad annum unum supra triginta fuit deducta. Laborantibus enim de salute patriae romanis ex civitatum Etruscarum bello, et ex Samnitum defectione, auxiliumque a foederatis petentibus, scimus, Picentes, pecuniam, et milites paratos ex formula esse, et, si pluribus opus esset, plu-
A.U.C. res daturos, respondisse (2). Et id sane roma-
459 nis percommode accidit, dum anno 459. in hostium ditiones iterum invadentes omnem eorum impetum, et invictas vires mirabili, ac prope incredibili felicitate perfregerunt.

Dum ita, Picentibus coadjuvantibus, romani late rerum in Italia potiebantur; Galli Senones induci non poterant, ut victorum decretis subscriberent; imo populationibus grassabantur in Aretinos, qui foedus cum republica jam inierant. Quare consul per Picenum

---

(1) Livius lib. 9. — Florus lib. 1. — Eutropius lib. 2. — Livius lib. 10.

(2) *Picentibus gratiae actae — Picentes in fidem romani populi venere* — Plinius.

in eorum fines transgressus non paucas edidit nobilium caedes, urbes passim cum incolis inflammavit, et haud multo post pluribus in locis pene ad internecionem eorum acies delevit. Atque hoc pacto illud atrox bellum fuit extinctum, quod nisi cito, Piceno opem ferente, repressum fuisset, extremam forsan Romae vastitatem, et capitolio rursus flammam allaturum videbatur.

Ubi ad pacem ventum est, et ad coloniarum deductionem in subactis Gallorum agris, romani praeprosperae fortunae nimium fidentes in Picenum insolescere, et ad tyrannidem sua potentia abuti coeperunt. Quare bellum est (1) ortum, quod, quam funestum fuerit Septempedanis, nemo ullis unquam verbis consequi A.U.C.
poterit; quodque tamen ad annum 484. fuit 484
dilatum; nam prius romani in magnas voluerunt angustias adducere Caricinos, et Umbros Camertes, qui satis firma praesidia communi

(1) Livius epit. lib. 15. — Polibius lib. 2. — 2. *Galone, Fabio Pictore coss., bellum Picentes commovere, et ab insequentibus coss. Publio Sempronio, Appio Claudio victi sunt, et de his triumphatum est. — Picentibus victis pax data, coloniae deductae, Ariminum in Piceno.*

hosti opponebant. Publius Sempronius Sophus, et Appius Claudius Romae tum consulatum gerebant. Claudius igitur Camertes prostravit, et Sempronius, Picentum feritate nihil deterritus, cum paucis exploratum ivit, undique advolantibus nostris, quos ille mira animi constantia contempserat. Pugnatum est interea aliquoties, irrumpentibus romanis in nostros; et modo illi, modo nostri victores abierunt, donec tandem Sempronius omnem vim expugnandorum Picentum adhibere constituit. Jam enim tanta armatorum vi loci omnes erant oppugnati, ut non modo concuti tellus, sed tota passim hiscere videretur. Tum Septempeda in jus victoris concessit, et acerbissime tulit sibi antiquorum jurium facultatem ereptam. Et licet Picentes, qui e caede profugerant, ad audendum fortiter essent animati; tamen promissis (1) integra fide steterunt, aeque ac nostri, ad quos *Praefectum* quotannis ex urbe missum fuisse teneo: nam ex subactis Picentum oppidis minime nostrum, quidquid sentiat Bernardus Gentilius de Rovellono (2),

(1) Livius 1. 38. — Dion. 3. 50.

(2) Dissert. sopra le antichità di Settempeda.

est eximendum, cum bellum sane atrox atque universum (1) respublica in Picentes gessisset, cumque illud a Vellejo Paterculo descriptum ad tempus aliud sit referendum.

Piceno et tota pene Italia domita, ac bello primo Punico confecto, M. Flaminius Censor viam Flaminiam munivit, et circum instruxit. Quod licet summo Septempedanorum bono caderet, in eodem tamen abjectionis gradu eos adhuc perseverasse video; nam romanis de hostibus devictis triumphum tantum ducere, et propagandi imperii fines studium, unica laus erat. Hoc instituto, alternis annis ingentes copias educendo, populos bello superatos haud humaniter suscipiebant, et victi nihil impetrabant aliud, nisi ut castra sequerentur.

Interim Saguntum, urbs amica populo romano, ab Hannibale Carthaginiensium duce deletum secundi belli punici principium fuit, et Italiae, ac praesertim Piceno novarum calamitatum origo; donec Hannibal a suis in Africam revocatus signa cum Scipione contulit, et victus profugit in Asiam, Carthagine domita atque subacta. Dum haec agebantur, Senatus in comi-

(1) Plinius hist. nat. lib. 3. — Florus lib. 1.

tiis proposuit, quanto in discrimine res essent, nisi animis ad italicas urbes, quae ad Hannibalem defecerant, revocatis, eis obviam irent poena durissima. Quare uno omnes animo injurias civitatibus irrogarunt, et inventi in urbe fuere, qui conditione iniqua in colonias proficiscerentur, praemiis ubique propositis, et agraria largitione egentibus facta. Nos vero etsi ignoremus, an vires suas ad Hannibalem contulissent Septempedani, an suum in rempublicam animum egregie fuissent testati; nihilo tamen meliori loco res quoque eorum fuisse putamus. Nam ad haec tempora, uti Auximo (1), aliisque apud Picentes evenisse comperimus, referendam esse videtur apud nostros eorum (2) coloniam, qui Romae e plebe sumebantur, atque ex proletariis fere et capite censis, quique et vacationem militiae habebant, nec nisi numerus erant, et frugibus consumendis nati. Satis est enim, in fragmentis Balbi mensoris (3) apud Fronti-

(1) Martorellius. lib. 1.

(2) Eutropius — *Agri fuerunt mulctati.*

(3) *Septempeda oppidum: iter populo non debetur: ea lege continetur qua et ager Cingulanus.* — Frontinus

num, Septempedanum agrum Cingulanorum, et Potentinorum coloniis fuisse aequiparatum.

Sed paulo post L. Scipio in urbem cum triumpho Asiaticam deportavit luxuriem; M. Fulvius Ætolos domuit; L. Æmilius Paulus, et Q. Metellus Macedoniam rebellantem sub imperium redegerunt; et P. Scipio Æmilianus ex Carthagine solo aequata Africani nomen, quod haereditarium habebat, per se partum obtinuit; Thessalia, Epiro imperio romano adjunctis, Numantiaque eversa. Dum foris bella romanus ita feliciter gerebat; mores, Graecorumque artes, et disciplinae in urbem fuerunt invectae; et quae olim angustae dominationis limitibus circumscripta triumphantibus civibus laetaretur, qui ad victoriae praemium adjunxerant Volscorum armenta, vel Sabinorum greges, aut pauca Gallorum carpenta; propagato imperio, non juste decretos honores putavit, nisi exterae

---

de colon. ex lib. Balbi provincia Picena apud Goesium rei agrar. Astilod. — *Cingulanus ager . . . . . ea lege continetur qua et ager Potentinus* — ibi —. *In limitibus intercessivis, et jugeribus est assignatus ubi cultura. Caeterum vero insolutum est . . . . nam multa loca haereditaria accepit eorum populus* — ibi —

gentes praeliis domitae romani imperii fines longo terrarum tractu augerent, atque illarum praeda, spoliisque triumphus illustrior fieret. Dum igitur tot sustinebant, et tanta negotia romani, res italas armis tutabantur soli, ornabant moribus, legibusque emendabant: in publica commoda peccassent Septempedani, si essent veriti, ne apud posteros dedecus sibi esset, quod viderentur devoti Romanis esse. Nam si in eorum colonia jam erant ex more (1) reipublicae formam contemplati; si urbis (2) imaginem in magistratibus, in foris, in curiis, in templis; nunc moribus laetabantur expolitis, artium, scientiarumque progressu superbiebant, ut his etiam, uti suo loco innuemus, suas ostentarent opes, suam amplitudinem, ac magnificentiam; quae omnia ita eos finxere, ut ad municipii honorem sublimarentur (3).

Sed diu coloniae injuriis non vacarunt:

---

(1) Hannibal Oliverius in mar. Pisaur.

(2) Lypsius de mag. rom. lib. 1.

(3) Cellarius or. ant. — Brietius pararel. geogr. lib. 5. — Ughellius It. sacr. vol. 2. — Gruterius — Rainesius — Gorius — Manutius ortgr.

nam primum Tiberius Sempronius Gracchus, agraria lege lata, reimpublicam turbavit; mox Lucius Appulejus Saturninus, et tandem Marcus Livius Drusus easdem leges per vim pertulerunt, quibus nihil usquam ad largitionem relinquebant, nisi si quis aut coenum dividere vellet, aut caelum. Verum cum italicis populis promissa persolvere Drusus ipse non posset, sociali bello ardere coepit Italia. Tum Marsi, Peligni, Samnites, Lucani, Picentes, aliique, cum civitatem a tribuno plebis ostentatam non impetrassent, armis extorquere conati sunt. Pax igitur otiumque per id tempus haud Septempedae fuit.

Haec res vehementissime senatum commovit, et scelus hoc in Piceno expiare Publius Servilius perquam erat studiosus (1). Quare superbissime in maximo (2) Asculanorum conventu allocutus, ultimas fuit ipso in foro calamitates perpessus, et gravissima quoque de civibus romanis supplicia inibi sumpta. Verum Asculani a proposito reipublicae tam in-

---

(1) Livius dec. 3. lib. 3. et lib. 4. — Orosius lib. 5.

(2) Florus lib. 1. — *Caput gentis Asculum* — apud Gruter.

festo nulla se passi sunt ratione deduci ; et quam cito serperet ejus belli contagio, satis dici non potest: nam in auxilium sibi statim adsciscunt Marsos, Vestinos, Samnites, Ferentanos, Pompejanos, Picentes. Mox accitis italicis consulibus, Tito Pompedio Silone et Cajo Aponio Mutilo, majores copiae instruuntur, et multa hominum millia producuntur in aciem: id bellum Marsicum, Italicum, et Sociale dictum. Quare fuit concursum in Rutilum, et Caesarem romanorum consules, inque alios, quos huic bello Quirites praefecerant. Et hoc praecipue de Picentibus cunctis fatendum. Cum vero in Gnei Pompeii Strabonis, Lucii Sillae, aliorumque reipublicae imperatorum placita ipsi venissent ; civitas tandem ultro eis cum pace fuit data. Sunt qui (1) scribunt, explorata tum Septempedanorum studia adeo romanis in ipsius belli primordiis eos commendatos fecisse, ut sic voluerint illos existimare, se, quaecumque ad eorum incolumitatem, quaecumque ad ditionis, juriumque

---

(1) Scaramuccia dis. ist. — Martorellius hist. Aux. — Gentilius loc. cit.

adauctum pertinerent, in iis numquam defuturos. Nos vero etsi sciamus cum Vellejo, (1) civitates quamplures in Italia arma non coepisse; id tamen haud facile de Septempedanis intelligendum putamus: nam magnam illis seditioni, et caedi ansam Asculani jam praebuerant, et perquam bellicus erat totius hadriatici litoris, et Piceni interioris aspectus. Quare ratio non affulget, cur credamus cum Gentilio, (2) apertam vim in romanos ipsos non intendisse; sed potius, foederatorum fortuna inclinante, Septempedanos non impune ferentes eorum tumultum, qui pervicacibus armis, ad interitum usque, patriae libertatem tuendam susceperant, aliarum urbium exempla imitantes sese romanis dedidisse opinamur.

Haec inter civilis contentio invidiae facibus fuit excitata; et Senatus tot calamitatibus pressus, civitate ad universam Italiam data, summopere urbes absterrere fuit conatus, ne sociale foedus jam compressum reviveret. Ante-

(1) Lib. 2.
(2) Gentilius loc. cit.

quam igitur Marius in Romam cum copiis irrumperet; antequam Sylla victorem exercitum transportaret ex Asia, et, profligatis hostibus, urbem, Italiam, et Picenum praesertim stragibus compleret; Septempeda romanorum municipium dici jam potuit. Sunt hujus rei gravissimum argumentum magistratus municipales Septempedani, quos habemus in antiquissimis inscriptionibus, quarum nonnullas in subsequenti capite non erit forsan injucundum civibus referre, et pro modulo nostro illustrare.

Dum imperium tota Asia propagabatur; Roma ipsa, Etruria (1), Picenum intestino bello exarsere. Lucius enim Catilina, exercitu comparato, de caede consulum ac senatus, deque inflammanda urbe conjuraverat, et per Etruriam, ac Picenum jam contendebat erumpere; nisi praetores Q. Pomponius Rufus, et Q. Metellus Celer saevissimum hostem oppressissent. Ast dum perditissimi viri alia bella ex aliis inferebant; suspicari quisque facile potest, longe majora damna Septempedanis praetori utrique

(1) Salustius de bello Catil. — Eutropius lib. 2. — Plut. in vita Pomp. — Orosius lib. 4.

addictissimis ipsos fuisse daturos, si ea conjuratio oppressa non esset.

Ubi C. Julius Caesar amicitiam, quae illi cum Pompejo intercesserat, dissolvit, et Ravennae a militibus (1) imperator fuit conclamatus, Q. Hortensio Oratoris filio praeeunte; in Ariminenses ipse transtulit arma, et eorum urbe potitus victoriam retulit ex Pompejanis. Tum ea praeda onustus in Picentum agrum irrumpit, et Pisaurum, Fanum, Anconam vi haud frustra obtinere conatur. Hinc hostes persequi statuit Caesar, et veluti oculorum ictu (2). Castrum, Cupra marittima, Truentum, Numana, Trajana, urbs Salvia, Septempeda, Cupra montana, Firmum et Asculum, Tignium (3), Pollentia, aliaque Picentum oppida in victoris potestatem venerunt. Mox animo perquam acerbo Marsis, Pelignis, Samnitibus potitus, in urbem nobilitate vacuam ingressus se dictatorem dicendum curavit.

---

(1) Caesar de bello civ. — Lucanus de bello civ. — Florus.

(2) Sigonius de agro Pic. et foed. Pic. lib. 1. — de antiq. jur. Italiae cap. 15. — Svetonius in princ.

(3) Nunc S. M. in Giorgio ex Blondo. — Cicero ad Atticum.

Ex quo vero Caesar Octavianus ob auctum imperium Augustus a Senatu primus fuit appellatus; pace terra marique parta, Picenum in undecim regiones dividens, Septempedanorum conditionem immutavit. Illud enim de Septempeda occurrit, quod de Asculo, Mathilica (1), Recina, Attigio, aliisque possumus praedicare: ut nempe inter illius magistratus (2) *Curatoris* nomen antiquis in monumentis assurgere inveniamus. Primus tamen, qui se nobis in conspectum prodat, quique Principis judicio dignitatem fuerit consecutus, et scriptus in Decurionum (3) albo ante eos, qui municipalibus tantum honoribus essent functi, est is, quem primis Ecclesiae temporibus divus Maro hidrope (4) vexatum curavit. Quid vero de *Curatoribus* seu *Procuratoribus* sentiam, nam unum idemque esse Fontaninius (5) tenet, si quis me interrogat,

---

(1) Balbus in Pic. ep. — Compagnonus reg. Pic.

(2) Fontaninius in Hortan. antiq.

(3) L. ult. D. de adm. rer. ad civ. pert.

(4) Consule Georgium not. ad Adonis martyr., et Bullan. acta SS. — *Procurator urbis Septempedae.* —

(5) Loc. cit. f. 67.

statim cum (1) Hofmànnio, (2) Cujacio, aliisque repono, eos ita dictos, qui tum publica, tum privata procurabant. Hinc ne quaeso eum fisci, aut aerarii *Curatorem* tantum apud nostros fuisse quisque putet, sed potius quatuorviratus Septempedani quasi *Praesidem* illum dixerit, qui cives regeret, et cum eisdem jus diceret (3) quatuorviris, in quorum numerum *L. Tifanium Marcellum* suo demandabimus loco.

Et si a Svetonio edocemur, Augustum per Italiam vigintiocto colonias deduxisse, ad easque saepe saepius iter flexisse; veritati haud absonum esse videbitur, si, semel et iterum consularem viam discurrentem, Septempedanorum Urbem majestate sua implevisse putemus, civibus in gratiam receptis Marci Agrippae, Augusti generi, qui Romae Pantheon condiderat, aquamque virginem duxerat, de quo sermo redibit, quum de Basilica erimus locuturi.

Augusto interim mortuo divini honores a Senatu fuerunt decreti, et anno ante ejus

(1) Lexicon vol. 10.
(2) L. ult. de offic. lib. 1.
(3) Cicero famil. 11. 15. 18.

decessum decimoquinto Jesus Christus ex Maria Virgine genitus est, qui suis sectatoribus viam in caelum munivit. Sed imperio a privigno, haeredeque Augusti, Tiberio Nerone, aliisque deinceps occupato, eadem fuit civium nostrorum fortuna ac reliquarum Italiae civitatum, ex quibus nullam fuisse teneo, quae tristia multa priscis in juribus non tulerit. Quare Italiam in quatuor regiones Elius Adrianus secans, res ejus publicas quatuor viris consularibus adtribuit, et Picenum in suburbicarium, et annonarium ipse constituit (1). Id quamvis coloniarum, ac municipiorum aliqua capitis diminutione evenisset; tamen Septempedani, tum primum suburbicarii, laetabundi viderunt, judices delinquentes puniri, inhabiles removeri, tributum a Principe indictum per provincias describi, omnia denique vectigalia, portoria, annonas certis legibus definiri.

Accessit, quod M. Antoninus Pius ab Adriano adoptatus, alter Numa, imperium pace refovere, quam bello proferre maluerit, et aequissimos viros ad reipublicae procurationem delegerit. Hinc M. Aurelii Antonini mo-

(1) Consule Spartianum.

deratione ac sapientia, literis armisque romana res floruit; sed imperatores plerique inde secuti principatum male partum male perdiderunt; donec barbaris nationibus audaciam fecit Gallienus, frustra paterno doctus exemplo. Quare vis undique coorta romanum concussit imperium. Sed L. Domitius Aurelianus, devictis iterum acie Gothis apud Placentiam, apud Fanum, apud Ticinum, ter tribus praeliis servavit Italiam (1). Quibus de rebus, uti probrorum vindex, tota Italia continuato excipitur triumpho; et Septempedani, quasi cladem extremam sibi a Gothis inferendam praeviderent, devoti numini majestatis ejus, titulum, de quo inferius, ei invicto libertatis publicae adsertori posuerunt. Italiam tamen suis flagitiis ac sceleribus mox polluerunt Carinus, ac Diocletianus; et, veluti haec pauca res esset, Maxentius crudelitate cum Maximino certans romanos et italicas civitates omnes tyrannica vexabat rabie, aerumnis eas ac paupertate conficiens.

Hinc Flavius Constantinus Magnus in Italiam cum exercitu venit, et rerum tandem po-

---

(1) Vopiscus — Orosius lib. 6. — Eutropius lib. 9.

titus Gothos Thraciam populantes perdomuit. Tum cives nostri iterum viderunt repressa provinciarum tributa, earum *Praesides* ac *Curatores* in officio contentos. Quare non unum, ut antea, sed quatuor ipse jussit praetorii praefectos, quorum unus auctoritatem totam per Italiam retineret. Sed Septempedanorum conditio, Arcadio et Honorio imperium obtinentibus, fuit rursus mutata. Nam quae antea suburbicariae provinciae erant, deinde praetorianae fuerunt. Nec vero ab iis fuit discussum barbarorum periculum. Imo Alaricus, vel recenti Stiliconis injuria, vel caesi ab eodem Rhadagasii regis memoria commotus (1), Italiam ex improviso adortus, Bononiam, Ariminumque cepit, et per agrum nostrum populabundus transgressus Romam ipsam diripuit. Hinc Attila Hunnorum rex, recedens ab excidio Aquilejae, Patavium, Veronam, Vicentiam, Brixiam, magnamque Galliae cisalpinae partem vastavit impune, et victoriis ferox jam infesto exercitu urbem imperii caput petebat, rapinis ac flammis perterrefacta Italia. Interim Gensericus Vandalorum rex romanis spo-

(1) Vide Muratorium.

liis onustus Eudociam Theodosii filiam una cum liberis Carthaginem abducit; et paulo post Odoacer Herulorum rex e Pannonia profectus in Italiam, Oreste acie victo, Augustulum metu exterritum exuit imperio. Zeno tamen orientis imperator Odoacrem tyrannum, Theodorici Ostrogothorum regis ope atque opera, ad Ravennam oppressit, et Theodorico Italia fuit victoriae praemium.

Odoacris exemplum ipse secutus consulum Romae instituta retinuit, et Septempedanis cum caeteris Italiae urbibus municipalia jura relinquens, summa populorum benevolentia ac fide pacatam rexit Italiam. Sed vix Belisarius ex Africa in Italiam duxit exercitum, protinus Roma potitus eam strenue defendit, Vitige rege oppugnante, et, accisis Gothorum viribus, universam Italiam in Justiniani ditionem redegit. Et hic, Gothis urgentibus, ut regnum acciperent, longe lateque caedes, rapinas, incendia, et vastationes agentibus; nobis videtur difficile divinare, quando Septempedanorum urbs funditus fuerit sublata. Cum tamen legamus (1), Totilam Gothorum re-

(1) Leonardus Aretinus lib. 3. de bello Goth. — Ida-

gem animadvertentem *Belisarium*, *et imperatoris copias necubi per Italiam in certamen prodire*, *sed oppidis inclusos moenia tantummodo tueri*; statuisse *non obsidere solummodo Auximum*, *sed aliis quoque civitatibus bellum inferre*; et ideo Totilam profectum *cum exercitu Asculum* et *Firmum in Picentibus* circumsedisse, et inter haec *Firmum* et *Asculum*, *quandoquidem nemo auxilium* obsessis ferebat, Totilam *pactiose* cepisse, et deinde *ex Picentibus in Umbros* transgressum; in hac Gothorum irruptione, solutis ordinibus per
A.U.C. viam Flaminiam Spoletum versus properan-
545 tium, existimamus, (1) anno 545 a Christo nato, Totilam ira, et furore percitum hostes persequentem, cum primum (2) vi Septem-

---

cius Ep. in fastis consul. evulg. a Sirmondio. — Raphael Volter. Antropol. lib. 19. — Gregorius Clumnicensis. — Sansovinus fam. illustr. Ital. — Bandrandus vol. 2. — Pranzonius de laud Pic. — Civallus vis. trien. — Orlendius Vol. 1. p. 2. lib. 3. — Franchius in vita S. Sev., et de antiq. Sept. — Ludovicus Lazarellus de fast. sac. mss. — Pamphilus de laud. Pic. — Valerius Cancellottus hist. Sept. mss. — Gentilius hist. Sept. mss. — Turchius Cam. sacrum.

(1) Juxta Pagium in crit. Baron. vol. 2., et Orlendium loc. cit.

(2) Valerius Cancellottus loc. cit.

pedanorum moenia fuit ingressus, qui, auctore (1) Valterone e Casale, ab romanis steterant, ignem eis tandem miserrime injecisse.

Sed quocumque alio tempore, aut rege, cum (2) Blondo, Sabellico, Albertio, Brietio, Merula, Berlingherio, Cancellottio, aliisque, in Procopii silentio nimium fidentibus, Septempeda diruta sit; incolae, qui evaserant, ad *montem nigrum* confugere, nec multo post ex ruderibus veteris urbis *novam Septempedam* in proximo *regali castro* reaedificarunt (3). Inde, cum sibi longius viderentur abesse a planitie, paulatim expetierunt ad ra-

---

(1) Vide apud eumdem Cancellottum chron. mss. inven. a Petro Antonio Collio Urbinatium bibliothecae praefecto in tabulario Vidonis Ubaldi Ducis. — Pamphilus lib. 4. de laudibus Pic.

Hic quoque Valterius, post Bondinarius acer
Agmina Gothorum maxima stravit humi.

(2) Blondus dec. 1. lib. 7. — Sabellicus Ænead. lib. 4. — Albertius descr. Ital. — Brietius geogr. p. 2. lib. 6. — Merula cosmog. lib. 4. — Berlingherius geogr. cap. 14. I. B. Cancellottus vit. S. Sev. lib. 3. — Jacobillius vit. S. Sev. et Vict.

(3) Joannes Harduinus in animad. ad Plin. lib. 3. — Brietius geogr. p. 2. — Cluverius Ital. ant. — Ortelius syn. geogr.

dices montis domicilia construere, quo longis post intervallis haec stetit civitas, quae multis saeculis *Sanctiseverini* nomen obtinuit.

Antequam vero huic capiti manum supremam imponamus, liceat nobis patria charitate flagrantibus urbis eversionem deflere, miseram civium captivitatem, imperatas captivis pecunias, pueros in servitium abstractos, et matronas ipsas ubicumque deductas. Quot aedium publicarum notae, quot signa, quot tabulae, quot templorum ornamenta deperdita! At vos, cives, qui uxores, qui liberos, qui fortunas, qui cognatos, qui patriam tunc amisistis, ex ore nostro sciatis, urbis, majorumque nostrorum exitium permultos adhuc insolabiliter lacrymari.

II.

De antiquis Septempedanorum monumentis.

Cum patriae antiquitatum amore tenerer, ad easdem vetustatis reliquias illustrandas animum appuli, quae primoribus huc usque labiis, ac satis jejune nonnulli attigerunt. Hinc ea, quae vel apud veteres, vel apud recentiores hac de re occurrebant, et a me observata fuerant, in adversaria conjeci, unde hae succrescerent chartae, quas civibus puto minime ingratas futuras, si animum ad argumenti nobilitatem tantisper convertat.

Quod esset Duumviratus imperium, quodque duumviri e decurionibus fierent, (1) Pauli, atque Ulpiani (2) scripta demonstrant. Habebant Duumviri fasces, ut ex epistola (3) Arcadii, et Honorii (4) intelligimus; et Caesar innuit

(1) Digest. lib. 50. tit. de Decur.
(2) Lib. 50. tit. de alb. scribendo.
(3) Cod. lib. 10.
(4) Loc. cit.

aperte, (1) municipiorum fuisse Duumviros. Sed aliae civitates duobus, aliae quatuor viris eum honorem demandabant. Hinc Cicero pro Cluentio narrat, municipes Larinates quatuorviros fecisse, quos Oppianus vir nefarius sustulisset. Non tamen in omnibus municipiis duobus, vel quatuor viris summum magistratum municipalem dari consuevisse confirmamus; cum sit notum ex quadam Ciceronis epistola ad *Decium Brutum*, et ex oratione Miloniana, Lanuvinos Dictatorem solitos creare, Arpinates vero Ædiles tres, qui annuum in Municipio magistratum gererent, et Septempedanos hoc in marmore (2) Duumviros.

D. Catinio. C. F. Curvo

(3) Duo. vir.

Saepe tamen factum est, ut in eadem civitate (4) primum quidem ex veteri more Duoviri, postmodum vero, ut honor ille manaret

(1) De bello civ. lib. 1.

(2) Prostat modo in aedibus comitis Severini Servantii-Collii.

(3) Muratorius Vol. 2. — Octavianus Gentilius de Patriciis lib. 4. — Bernardus Gentilius *ant. septemp.*

(4) Bimard. de antiquit. Cularon. cap. 4. — Maurus Sartus de Ep. Eugub. fol. 24.

in plures, supremum magistratum Quatuorviri gesserint, quos *a jure dicundo* veteres nominabant, ut antiqui lapides inscripti fidem faciunt, et hic editus a Gorio, et Gentilio.

T. Tifanio. C. F.
Ouf. Marcel
(1) lo. Equo. Pub.
IIII. Vir. Jur.
Dic. Patrono. Municip.
Camurena. C. F.

Moris fuit, ut, cum ostendendus esset in publicis praesertim monumentis civis romanus, is significaretur a praenomine suo, a nomine quod ejusdem gentis omnibus commune esset, a praenomine patris, a tribu in qua censeretur, a cognomine. *T.* igitur praenomen est. *Tifanio* nomen, *C.* praenomen patris, *Ouf.* nomen tribus, uti si diceret *Oufentina* tribu, *Marcello* cognomen. Ita in inscriptionibus saepissime, et apud Caelium (2) ad Ciceronem habemus C. Septimium T. F. *Quirina*, M. Oppium M. F. *Tarentina*. Et si tribus populi

(1) Class. 5. — B. Gentilius loc. cit.
(2) Famil. 8.

romani, ipsa etiam Tullii aetate, (1) quinque et triginta fuerunt, in quarum aliqua quisque civis romanus sive intra, sive extra urbem (2) degeret, censeri debebat; hinc teneo, Septempedanum municipium in Oufentinam tribum fuisse relatum. Illis tantum hominibus in armis strenue versatis olim e publico equus assignabatur; non tamen omnibus, qui equestri (3) essent censu. Idem mos fuit etiam posterioribus saeculis, quibus imperatores dominati sunt: nam si quis esset vir fortis ex equestri ordine, hoc est, ut demonstrat (4) Plinius major, et item (5) minor, sestertia quadraginta cui census fuisset, is *equo publico* stipendia faciebat, qui honos eo tempore vel magnus habebatur. Quare saepissime in vetustis lapidibus *equus publicus* significat virum ea, quam supra dixi, dignitate praeditum.

Noli autem mirari, qui hujusmodi honorem attigisset, ab eo rejectum non esse qua-

---

(1) L. 1. Verr. C. 5. N. 14.
(2) Panvinius.
(3) Livius lib. 5.
(4) Plinius major lib. 33.
(5) Plinius minor ep. lib. 1. ad Romatium.

tuorviratum nostrum. Nam qui urbanos magistratus cogitabant, muneribus municipalibus antea fungi solebant, qui tamquam gradus quidam erant ad rempublicam capessendam. Ita Annius Milo dictator (1) Lanuvii fuit, et Tulliorum Marci et Quinti filii Ædiles (2) Arpini. Caeterum primi Decurionum *Patroni* vocabantur, de quorum dignitate sermo etiam est in codice (3) Theodosiano. Et si ex Duumviratu, ac Quatuorviratu Septempedano Decurionum ordo necessario est deducendus, inque eo *Tifanius* censendus; idem jam appellari *Patronus* bis etiam poterat; primo, quia Decurio primarius, secundo, quia municipii patrocinium susceperat. Sed nusquam apertius nobis *Patroni* exhibentur, quam in Canusino Decurionum (4) albo, ex quo tamen illud etiam liquet, triginta septem hujusmodi viros non omnes ex uno municipio fuisse; neque enim credibile est, tot uno tempore Canusinos Romae senatores fuisse, tum eadem de

(1) Cicero pro Milone.
(2) Idem lib. 13. famil.
(3) L. 61. de Decur.
(4) Consule Morcellium

causa paucos, aut neminem forsan Canusii habitasse; sed tantum (1) passos, uti forsan de *Tifanio*, ut nomina sua in Decurionum albo inciderentur, veluti si ad eum ordinem pertinerent.

Sed juvat hic alios lapides duos afferre, ex quibus *Ordo Septempedanorum* emergit una cum Equitum ordine.

Magno Principi
Flavio Valerio Con
stantio Nobilissimo
(2) Caes.
Ordo Septempedanorum
D. N. M. E.
Pub.

Appositum illud *Magno* inter praenomima, aut cognomina numerandum censeo, ut illud alterum Augustorum commune *Imp.*: nam Caracallam, tamquam Pompejum alterum, *magnum* esse appellatum, declarat nummus vultu ejus designatus cum titulo (3) *Di-*

(1) Ulpianus L. 1. D. de alb. scrib.

(2) Ughellius It. sacr. Vol. 2. — Cluverius Il. antiq. Vol. 2. — Ursatus de noct. rom. apud. Grevium. — Muratorius — Gentilius loc. cit.

(3) Veill. Vol. 1.

vo. Antonino. Magno. Diu equidem non haesito, quo nomine eos appellem, qui municipio Septempedano erant adscripti, publicique consilii participes facti. Decuriones ex verbo *Ordo* significari, eosque ita rectissime appellari (1) autumo; siquidem manent adhuc plerisque in urbibus ea summi ordinis jura, quae olim fuerunt, quum senatui romano, et imperatoribus Augustis parebant: qui ex eo sunt ordine, his latine Decurionis nomen est. Quid vero de numerosa illa conclusione dicam: *Devotus. Numini. Majestatis. Ejus?* Hisce verbis usi Decuriones Septempedani mihi videntur, ut ex iis se esse ostenderent, qui vitam suam pro gloria et salute *Magni Principis Flavii Valerii Constantii* Genio ejus, per quem veteres et jurabant, ipsamque majestatem in Dearum (2) habebant numero, devovissent. Devotos sane apud Caesarem (3) fuisse vides, quos Galli Saldutios vocabant.

---

(1) Pancirolus apud Grevium. — Cluverius de It. antiq. Vol. 2. ait. *Alia . . . . romae visitur, in qua memoratur ordo Septempedanorum.*

(2) Ovidius Fast. lib. 5. vers. 23.

(3) De bell. gall. lib. 3.

His persimiles in Hispania fuere, quorum more Sextum Pacuvium Romae in senatu Caesari Augusto se consecrasse, tradit Dio; ejusque exemplo romanos se imperatori *devotos* dicere (1) caepisse. En alterius lapidis verba.

Imp. Caesari
L. Domitio Aurelian
Pio F. Aug. Invict
(2) P. M. Trib. Pot. Cos.
P. P.
Princ. Juvent.
Hor. Sept. Pub. D. D.

Equites romani juventutis nomine designabantur: non quod omnes juvenes essent, sed quod prima institutione (3) ita fere fuissent. Potior tamen equitum pars juvenes censebantur, ex iisque nobilissimi et senatorum filii, qui propter aetatem, nec in senatorum numero, nec magistratum capere poterant. Hos inter praecipui, qui, uti Tifanius, equo

(1) L. 53. cap. ex quo. Nunc etiam a principe discedentes dicere solemus, ei nos esse devotos.

(2) Muratorius inscrip. — Reinesius clas. 3. — Gentilius loc. cit.

(3) Livius lib. 13. cap. 61.

publico erant honorati. Hinc eruditissimus Norisius duxit, Principem juventutis ac Principem equitum (1) accipi pro eodem. Nemo igitur ambigere potest, habuerit ne municipium Septempedanum equites suos, dum eorum Principes assurgunt in marmore desuper allato. Nam hac de re (2) cum Muratorio, et Reinesio (3) teneo, ejusmodi titulum minime referri posse ad *Lucium Domitium Aurelianum* jam *Augustum*, jam *Imperatorem*, jam senio confectum, sed ad *Principes* civitatis Septempedanorum: nam per illos (4) magistratus, et municipalium potiores intelligendi sunt. Hoc idem, ni fallor, confirmat inscriptio, quae nondum publicam lucem aspexit, quaeque prostat in aedibus Magistratus Septempedani.

Curvianicae
P. Licinio Phileroto
Sex Viro

Hi equites praecipui, qui equo publico

(1) Cenot. Pis. diss. 2. cap. 3.
(2) Nov. thes. inscrip. vol. 1.
(3) Clas. 3.
(4) Gentilius loc. cit.

erant honorati, ad Trojae ludum (1), et ad solemnem transvectionem, cujus morem Augustus (2) reduxerat, sex in turmas divisi erant, quibus totidem duces imperitabant, *Seviri* a numero dicti; quorum unus in municipio nostro *Curvianica P. Licinius Philerotus* fuit. Quia vero tres seniorum erant turmae, tresque juniorum (3); tres quoque erant *Seviri*, qui senioribus, tres qui junioribus praeerant, atque ii omnes antiquitus (4) *Principes juventutis* nominabantur. Quae vero nostrorum equitum turma a *Curvianica* in municipio regeretur, quis divinari modo posset? Caeterum qui in titulis *Seviri* tantum nominantur, eos tenet Odericus *municipales* magistratus fuisse, non *Augustales* (5).

Ædiles, quod aedes tum publicas tum privatas procurabant, dictos fuisse, tradit Varro. Ii praeerant etiam foro rerum venalium: unde est apud Plautum, improbas Ædi-

(1) Svetonius in Aug. C. 43.
(2) Idem ibidem C. 38.
(3) Tacitus ann. lib. 2.
(4) Livius lib. 42. — Cicero famil. lib. 3.
(5) Disser. 2. fol. 108.

les jactare merces consuevisse. Hinc erat in legibus positum, Ædiles (1) curatores urbis, annonae, ludorumque solemnium: extatque praeterea (2) in Pandectis de *aedilitio edicto.* Quin Hoffmannus, et alii multa collegerunt ad hoc argumentum facientia. Quare nos illud tantum dicemus, fuisse non solum Romae hunc magistratum, sed etiam in aliis Italiae et provinciarum oppidis; quam rem apertissime antiquae inscriptiones indicant. In lapide vero mox offerendo de aedilitia Septempedanorum dignitate fit mentio.

Pub. Sallustus. T. Fil. Pub. Virgula
(3) Scrib. AEd. Cur. ex Testa
mento H. S. Ⱡ Ł

Fuit Sallustus Scriba Ædilium, ex iis nempe, qui acta rationesque publicas, magistratus sui nomine, scribebant, et *scriptum facere* (4) dicebantur. Hinc scribae a magistratibus, quibus inserviebant, appellabantur; ita ut *Quaestorii*, *Ædilicii*, *Praetorii*, et sic porro (5) dice-

(1) Cicero de leg. lib. 3.
(2) Lib. 25.
(3) Muratorius Vol. 2. — Gentilius loc. cit.
(4) Gellius lib. 6. — Livius lib. 9.
(5) Sigonius de ant. jur. civ. rom. 11. 9.

rentur; erantque in decurias divisi; unde *decuriam emere* dicit (1) Cicero pro emere munus Scribae. Horum ordinem honestum appellat Tullius, quod eorum fidei tabulae publicae, periculaque magistratus committerentur (2).

Nunc ad Flamines veniamus. Quod caput cinctum habebant filo, ita sunt dicti; et horum singuli cognomen habebant a Deo, cui sacra facerent. Sed quaeritur, cum cognomen non additur, quod Flaminum genus sit intelligendum. Honufrius, qui diligenter omnia Flaminum cognomina in sua romana civitate collegit, existimat tunc significari *Flaminem municipalem*. Quae sententia mihi mirum in modum probat municipium Septempedanum. Adjuvat hanc opinionem Cicero, qui confirmat, morem fuisse Lanuvii, ut quotannis a Dictatore ante diem tertium Kal. Februarii Flamen proderetur; ex quibus verbis intelligimus, singula saltem municipia Flamines habuisse. De Flamine autem Feroniae nihil est,

---

(1) In Verrem l. 3.
(2) Act. 2. l. 3. C. 79.

quod aliunde quaeramus testimonium, quando hoc in lapide dicitur, *Camurenam* fuisse *Flaminicam Feroniae*, idest Flaminis uxorem, uti Gellius tenet, atque *municipem Septempedanam* clarissimam. Nam Flamines municipales erant ex ordine Decurionum, nec prius sacerdotio ornari poterant, quam municipalia (1) munera obivissent. En inscriptionis tenor.

Camurenae
Ca. Fil.
(2) Celerinae
Flam. Feron.
Municip. Septemp.
L. Tifanius. Felix.
Patr. Optimae.

Quaenam haec fuerit Feronia Dea, ambigitur sane: ajunt enim plerique, Junonem esse. Aliter tamen videtur: cum Feroniam (3) Virgilius Herili Praenestini regis matrem faciat; quod in Junonem cadere non potest,

(1) Cod. Theod. l. 77. — Norisius Cen. Pis. Diss. 1. cap. 4.

(2) Aldus Man. ortog. fol. 336. — Gentilius loc. cit.

(3) Æneid. 8.

quae nullos, nisi ex Jove, liberos suscepit. Narrat Dionysius, Lacaedemoniorum numen fuisse. Haec etiam Libertorum Dea habebatur, in cujus templo, auctore Servio, raso capite pileum accipiebant. Innuit vero idem Virgilius, (1) Latinorum et Sabinorum numen esse, quod Graeci sua lingua vertunt *Floriferam*, alii *amantem coronarum*, alii aliter: quae omnia Deam florum aut hortorum fuisse significant. Inter montem Circaeum, et Terracinam idem Virgilius (2) refert, Feroniae lucum cum fonte, et templo fuisse dicatum.

. . . . viridi gaudens Feronia luco:
Qua Saturae jacet atra palus, gelidusque per imas
Quaerit iter valles, atque in mare conditur Ufens.

Quod Septempedae *ad radices montis nigri* fuisset *gentilitium fanum* (3); quod illud sacrum fuisset Feroniae, majores nostri per manus usque ad haec tempora tradidere; quodque tandem apud municipes ipsos ejusdem Deae *Flaminica* extitisset, idem Camurenae lapis, aliique, ut infra, testantur.

---

(1) Ibi 3.
(2) Ibi 7.
(3) Bulland. act. SS. fol. 1104.

De inscriptionis initio nihil mihi dicendum, quum antiquis in exemplis aeque ac in nostro unum omnium sit; a nomine scilicet eorum, quibus statua, vel lapis positus fuerit, uti *Camurenae*; cui fere adnexum patris praenomen, uti *Caji*; et *Filiae* appellatio, deinde cognomen, uti *Celerinae*. Quum vero rebus gestis clarescere foeminae non possent; tunc majorum, et propinquorum laudibus publicis in tabulis enitebant. Ita (1) Tullius Caeciliam Balearici filiam, Nepotis sororem, commendavit a genere, quo dein privatam foeminae virtutem extolleret. Fuere nihilominus sua et foeminis aliquando dignitatis apposita: nam quaedam ex his sacerdotia inibant; et id minime in earum inscriptionibus erat praetermissum, sicuti habemus in nostra Flaminicae Feroniae. Quum autem bene nummatae essent, uti dicendum de Camurena; cives, municipia etiam, et colonias largitionibus demerebant. Quare his aliquando civium patrocinia deferebantur, uti *Patronae optimae* adjunctum fuisse legimus *Camurenae*, quae apud *Lucium*

---

(1) Pro Roscio Amerino.

Tifanium felicem gratia multum, et auctoritate valuerat.

Quae vero beneficia, quae merita foeminarum essent, raro diligenti oratione traditum, explicatumque reperio: nam quae prolata generatim erant, majus quiddam planeque romanum sonare videbantur. Aliquando tamen ab urbibus ipsis statuam vel lapidem foeminis decretum esse, comperimus. Imo saepius fuit adjectum, mulieres una cum viris monimentum constituisse, facta etiam mentione de *impensa restituta pro accepto honore*: omnia enim ejus impensa fiebant, cujus statua dedicabatur, aut certe haeredum, si is jam decessisset (1). Haec Tufficani testantur.

(2)

Camurenae
C. Fil.
Celerinae
Flam. Feron.
Municip. et Incolae
Tuffici. utriusq. Sexus
Ob. merita. ejus
H. A. I. R.

---

(1) Fabr. p. 486.

(2) Muratorius inscrip. Vol. 2. — Gentilius loc. cit.

Nec nos moveat, quod Camurena haud Septempedani sed Tufficani municipii, inter (1) Mathilicam, et Fabrianum olim jacentis, a Muratorio civis esse dicatur (2) : nam potius ex illa a Manutio (3) evulgata, atque alia mox adducenda, et in gruteriano thesauro posita, municipem nostram fuisse teneo, et urbis utriusque civem fuisse suspicor. Id per leges romanas fieri potuisse, et exempla Constantini imperatoris nos docent (4), et ex aliquot inscriptionibus, ubi unus aliquis duarum civitatum Decurio fuisse perhibetur, eruimus. Et nos nunc moribus ipsis, ipsis nunc institutis non vivimus? Nonne et modo quaedam sunt munera, quidam dignitatis, honorisque tituli, qui Matronis adscribi possunt? Nonne earumdem munificentia collegia saepe, vici, oppida, vel restituta, vel aucta, ut eorum matres *ob merita* dici possint? En Gruterianae inscriptionis verba.

---

(1) Olstenius in It. ant. Cluverii.

(2) Loc. cit.

(3) Loc. cit.

(4) Lib. 10. Cod.

Camurenae
C. Fil.
Celerinae
Flam. Feron.
(1) Municipii. Septemp.
Municipes. et. Incolae
Tuf. utriusq. Sexus
Ob merita ejus
H. A. I. R.

Si quis modo conferat istam cum illa a Muratorio relata, si parumper cum (2) Gentilio animadvertat, quibus in locis eae nunc prostent; aperte, ni fallor, videbit, genuinam esse Gruterianam: nam, si etiam foret rejicienda, Camurenam semper municipem nostram ex lapide Manutiano fuisse constaret.

Quod de Flamine huc usque diximus, idem de Pontificibus dicendum esset, si ex patriae ruderibus quicquid decerpere licuisset. Nam sunt exempla inscriptionum apud Wolfangum, unde intelligimus, etiam Coloniis, et Munici-

(1) Gruterus. — Gudius de inscrip. — Antonellius in hist. Ascul. — Donius Vol. 5. — Gorius. — Gentilius loc. cit.

(2) Ant. Settemp.

piis suos Pontifices fuisse. Sed tantus antiquarum ejusmodi reliquiarum despectus apud nos fuit; ut inscripti lapides olim promiscue essent adhibiti ad domus ipsas reficiendas, viasque sternendas. Vidit clarissimus civis (1) comes Leonardus Franchius fragmenta perplura dorica symmetria constructa; vidit nonnulla graciliora et florida, foliisque et volutis ornata templorum opera; vidit alia ab severo doricorum more, et a teneritate corinthiorum temperata; vidit antiquarum statuarum fragmenta, et hermam quoque (2) Jani bicipitem, quae indidem eruta esse constabat; ac multo etiam plura, quae pretiosiora putabantur, quaeque nunc aut alio exportata, aut deperdita cernimus, atque ploramus. Nonnulli tamen adhuc tituli Diis positi extant, qui aut templum, aramve dedicatam, aut donum aliquod datum, consecratumque cum aliqua cultus Deorum significatione declarant. Ex iis unum hic proferimus, qui Jovis, Deorum atque

(1) Antiq. Sept. mss.

(2) Gentilius loc. cit.

hominum patris, nomen praesefert, quique fuit ab Ughellio evulgatus.

. . . . . . PP. . . . .
. . . Tri. . M. . R. . . . .
(1) . . Jovem . . L. . . . .
. . . . V. . F. . I. . M. . . .
. . . . . Nia . . Ul. . . . . .

Ex hoc lapide injuria temporis undique exeso, Jovis templum apud nostros fuisse (2) colligimus, et mirifico opere fuisse extructum, causa quidem est, cur credamus. Discrimina in templorum structura merito statui ab architectis volebat olim (3) Vitruvius. Sic enim ille praeceperat: Minervae, Marti, et Herculi aedes doricae fiant; Veneri, Florae, Proserpinae, ac fontium Nimphis Corinthio constitutae aptas videbuntur habere proprietates; Junoni, Libero patri, caeterisque Diis, qui eadem sunt similitudine, si aedes jonicae constituentur, habita erit ratio mediocritatis. Porro quum hic Jovem Vitruvius non nominaverit, suspicatus est Bonarotus, ea templa Jovi extrui

(1) Ital. sacr. Vol. 2.
(2) Ughellius ibidem.
(3) Arc. lib. 1. cap. 2.

fuisse solita, quae omnium Deorum vim, virtutemque complecterentur (1). Et sane ornamenta alia templorum Jovi, ut etiam reliquis Diis ea fuisse adtributa, quae Deos decebant, antiqui testantur auctores (2), aeque ac veterrima Septempedanorum rudera a Franchio, Holstenio, Lilioque, ut supra, relata (3); quaeque, si genuino aspectu adhuc perviderentur, magna in Jovis delubro, aliisque illustrandis subsidia nobis parassent. Quot insuper Deorum nomina nobis adhuc non occurrent in numismatibus illis, quibus veteres numinum effigies, atque symbola exprimenda curabant! quot in nummis honoris causa percussis a municipibus nostris, qui in fronte aversa Augustos in curru triumphali referebant, et Septempedae titulum; quosque patrii scriptores testantur vidisse (4)! quot tandem in vasis, ac pateris potissimum, quas in templis quoque, sive e gemma, sive ex argento, aurove dedicare veteres solebant, ut sacer-

(1) Medaglione 10. in fin.
(2) Plinius hist. nat. l. 36.
(3) Lib. 2.
(4) Franchius loc. cit.

dotes sacris operantes eisdem uterentur, si ejusmodi antiquitatis monumenta adhuc pervi-derentur! Equidem multa essent, quae in Jovis templum derivare minime possent; quaedam praeterea, quae paullulum sane inflectenda, ni prorsus aptanda.

Et sane inanium Deorum cultu nondum dispulso, superstitioneque nondum deleta, templis, sacrisque recessibus Septempedam superbisse necessario putamus. Adhuc enim aetatem ferunt balnei vestigia, quae ab optimis civibus extructa solers antiquitatum investigator (1) commemoravit; quaeque, dimotis terrae, materiaeque acervis, quibus locus impediebatur, fuerunt conspicua; et, quod caput est rei, duplex patuit in pariete orificium externorum aquaeductuum, quibus in cubiculum aquae transmitterentur; quibusque indiciis satis aperte intelligitur, totum aedificium pro lavationibus fuisse comparatum. Accedit ipsa tuborum forma ac positio ad aquas pro veteri more devehendas. Nam unum pro certo affirmare me posse existimo, iisdemque persuadere testimoniis, quae aliud molientes accive-

(1) Baccius de thermis.

runt (1) Lomejerus, (2) Saubertus, aliique; nempe, ejusmodi lavationum studium ab sui exordio religionis, pietatisque causa fuisse invectum. Quare, ut ab Anticlide accepimus, qui se flagitio, culpave (3) contaminarant, purgationem inde auspicabantur. Id autem evenisse potuit, quia, ut ab Euripide, et Callimaco edocemur, romani (4) aeque ac Graeci, quodam divinitatis instinctu, fluminum, fontiumque aquas (5) agitari, permoveri, afficique existimarent. Sed tandem iis balnea invaluerunt, et aquis eo corrivatis, si mystam renunciare, si sacra peragi esset opus, veteres largius uti caeperunt. Ideo Athenis adolescentes, quos parandarum sacrarum literarum amor incesserat, ad balnea cum pompa deduci solitos, in balneo primis erudiri mysteriis, ex balneo remeantes in sapientum numerum cooptari (6). Postquam vero in profa-

---

(1) De lustrat. veter. gent. cap. 16.
(2) De sacrif. cap. 11.
(3) L. 74. apud. Natal. Com. Mythol. lib. 1.
(4) Vide Spanhemium in Callimac.
(5) Seneca ep. 41. — Cicero de nat. Deor. lib. 3.
(6) Apulejus in metam. 2.

nos, sacrosque usus balnea constituta sunt; nulla fere urbs extitit moribus polita, laudisque cupida, quae magnificas id genus constructiones ingenti sumptu excitandas non curavit, in quibus, aliquando (1) dato pretio, aliquando gratuita (2) lavatione, unicuique se abluere, ac perpurgare liceret. At quemadmodum nominis claritate, rerumque omnium laudatissimarum praestantia, sic etiam hujusmodi operum magnificentia, longe, multumque gentes caeteras antecessit Italia. In toto hoc igitur genere, sive loci conditionem contempler, in quo Septempedanorum balneum fuit aedificatum, excisis columnis passim referti, aeque ac marmore *Basilicam* praeseferente; sive usus, in quos illud plerumque dedicabatur; vel Jovis, vel Basilicae balneum suspicor esse appellandum (3). Et quum sacris tanta adhiberetur reverentia ab eis, qui ad illa conspicienda accedebant; ne in dubium cadere mihi posse videtur, balneum ipsum ad id potissimum fuisse comparatum, ut ministri

(1) *Quadrante lavari* dicitur a Juven. Sat. 6.

(2) Malvasia memor. Felsinea S. 3. cap. 6.

(3) Eusebius lib. 4. — Cod. Thod. lib. 9. tit. 45.

rite ad rem divinam, praescripta lotione, praepararentur.

Quod Curatoribus praesertim esset concessum, ut sacras aedes adirent; antiquitatum cultores optime norunt, et de *Cura* pro *Curione* nil disputant. Nam *Curatorem* non barbaricis modo temporibus, sed recto latini idiomatis usu vigente, quandoque appellatum, dictumque fuisse *Curam* compertum habemus. Nunc ejusmodi *Curatorem* apud nostros extitisse, eoque munere *Annium Camurenum Martialem* fuisse cohonestatum, eruitur, ni fallor, ex titulo *Jovi Juventuti* posito, et ex ruderibus nostris defosso.

Jovi Juventuti
An. Camurenus
(1) Marzial . . . . Cur
. . . . Ar. Em. . . S

Nunc juvat ipsius *Basilicae* lapidem vel mutilum afferre, ex quo alia non pauca ad antiquitates nostrarum gentium illustrandas aptissima iis colligere sane licebit, qui Septempedanorum rem fusius tractare aggredientur.

(1) Prostat in aedibus Magistratus Septempedani.

. . . Il. . . Tr. . . Mil. . . D. . . .
. . . um. . . De. Sua. Pec. M. . . .
(1) . . . . Grippae. Et. Suo. Ex. . . . .
. . . . L. Basilicam. Faciun . . . .
. . . . . E. Operi. Praefu. . . . . .

Fuisse etiam in municipiis insignes quasdam et omni ornamentorum genere illustres Basilicas, ibique celebriorum romanorum statuas collocatas fuisse, additis gestis, diserte docet Gorius. Nam suorum clypeos in sacro vel publico privatim dicare primus instituit, ut apud Plinium reperio, Appius Claudius, qui consul cum Servilio fuit; posuit enim (2) in Bellonae aede majores suos, placuitque in excelso spectari, et titulos honorum legi. Quare Augustus eorum opera, qui imperium populi romani ex minimo maximum reddidere, ma-

---

(1) Ex schedis Germani Margarutii. Nunc in aedibus Severini Servantii-Collii est titulus aevo augusteo omnino conveniens, et quem ausu agresti forma deperditum hic damus.

. . . . . . ıI . TR . ıII . L . . . . .
. . . . . VM . DE . . . . . M . . . .
. . . . RII PAE . . . : . X . . . . . .
. . . . . AS LICAM . . . . V . . . . .
. . . . . OI RI . . . . . PR EF . . . . ,

(2) In Aug. cap. 31.

nentibus titulis restituit, et statuas omnium triumphali effigie in utraque fori sui porticu dedicavit, teste Svetonio. Sed quum etiam, uti idem Plinius (1) scribit, omnium municipiorum foris statuae ornamentum esse caeperint, propagarique memoria hominum, et honores legendi aevo basibus inscribi, ne in sepulcris tantum legerentur; quumque circum ipsius Basilicae ruinas una cum minoribus fragmentis statua fuerit effossa (2), integritati restituenda penes comitem *Severinum Servantium-Collium*; jam in eam sententiam perducor, ut non dubitem, quin gloriae sibi et laudi jure verterent Septempedani, si quae in urbe Roma essent pulcherrima, domi, ut poterant, singula imitarentur ac referrent, honoribus, rebus gestis, laudibus, recte factis

(1) Hist. Nat. lib. 34.

(2) D. O. M.
Domus ornto statuam hanc
ex antiq. Septem. ruinis
erutam
Marcus Antonius Servantius fil.
Gasparis Sebañi nepos
Patritius Septemp. erexit
V. N. Oct. A. D. MDCCXLVI.

memoratis, quae nempe posteros ad aemulationem possent excitare. Imo ut omnia una de causa confecta esse, omnia ex eodem fluxisse exemplo viderentur; in Basilicae fronte communem universi operis titulum, et forsan Marci Agrippae, qui praefectus universae Augusti classi tunc erat, quique Octavianum praesertim adjuvit ad Antonium penes Actium, Epiri promontorium, debellandum, nomen edicentem praepositum fuisse suspicor. Ita factitatum legimus de M. Valerio Corvino (1) apud Gellium; ita de Lucilio Longo, qui omnium Tiberio tristium, laetorumque socius fuerat, unusque e senatoribus rhodii secessus comes, uti a Tacito accepimus (2).

Neque hic a proposito alienum putamus nonnulla de musivis operibus referre, quorum perfrequens erat usus in exornandis non minus publicis urbium aedificiis, quam privatis potentiorum aedibus, quaeque ex Graecia ad Romanos defluxerant, indeque ad Septempedanos, sero tamen, et civitate jam adulta. Et sane musivorum praestantia non prius a Quiritibus

(1) Lib. 9.

(2) Ann. lib. 4.

agnita fuit, quam sub Cimbricum bellum, et Poenis pro tertia vice in Romanos ruentibus, ut scribit Plinius (1). Sed corruptis priscae frugalitatis moribus, quibus romana respublica militari gloria claruerat; facile cives in aedium quoque luxuriam ita declinarunt, ut non solum anguste se habitare putaret, cujus domus tantum pateret, quantum Cincinnati jugera patuerunt, ut ait (2) Valerius Maximus, atque adeo non amplis ejusmodi spatiis suam domum produceret; verum etiam pavimenta marmoribus resectis integeret. Sed hunc Lithostratorum splendorem a Septempedanis quoque Basilicae, ac Jovis templo fuisse additum, aliisque publicis confictorum numinum sedibus, ex ruderibus passim colligimus, licet plerumque parum eleganti forma compactis; et id, ni fallor, praecipuum est antiquitatis indicium. Siquidem ante Augusti imperium vidimus nondum adultam apud Romanos hanc artem, quae

(1) Lib. 36. cap. 25. *Romae scalpturatum in Jovis Capitolini aede primum factum est post tertium punicum bellum initum: frequentata vero pavimenta ante Cimbricum magna gratia animorum.*

(2) Cicero pro domo sua. — Valerius Maximus lib. 4. cap. 4.

primo, et secundo imperii saeculo suam attigit maturitatem. Nam, uti ipsa aedificandi forma, Augusti et sequentium principum aetate, alia fuit ab ea, qua, vigente republica, cives uterentur; ita et reliquae liberales artes solerti hominum ingenio ad excellentiae fastigium pervenerunt.

Et si bellicis in expeditionibus quoque tessellata, et sectilia pavimenta romanos (1) circumtulisse narrant historiae, adeo ut inter sarcinas ducum ista fuerint: facile conjici potest, qui aedium splendor esset penes nobiliores coloniarum, municipiorumque familias, inter quas (2) cum Muratorio, (3) ac Gentilio, uti Septempedanae sunt recensendae: Calpena, Cantinia, Camurena, Iraria, (4) Numitoria, Didia, Sedata, Veltia, Rufilla, Fortunata, Mitinia, Ursilla, Titania, Octavia, Eudemia, Irrutrix, Philoxena, aliaeque. Et si insuper gentium romanarum nomina ipsas in-

(1) Isaaccius Casaubonus animad. in Svetonium lib. 1. — Vide vol. 7. amaen. lit.

(2) Vol. 2. et 3.

(3) Ant. Settemp. —

(4) Muratorius vol. 3.

ter familias Septempedanas assurgunt, siculi Flaviorum, Mariorum, Pitiliorum, Vibiorumque; quid mirum, non solum parietes exoticis marmoribus obducere, verum pavimenta vel variatis marmorum peregrinorum crustis, vel minutissimis lapillis integere ipsos ex more assuevisse; reliquas vero ignobiliores partes aedium, vel vulgari musivo, albis nigrisque tantum lapillis, et quidem grandioribus compacto, vel marmorum frustulis, sive in rhombos, sive in alias figuras resectis perfecisse; ut frequentibus terrae egestionibus, quas fieri curarunt patrii scriptores, saepe viderunt? Unum ex his, quod incorruptum, et intactum aetas nostra laetabunda conspexit, inter posteriora recensendum putavimus; nec minus operis simplicitatem, quam temporis antiquitatem musivarii artifices adhuc admirarentur, nisi (proh dolor!) terrae, materiaeque acervis denuo esset involutum.

Quod vero locus (1) intra agrum effatum existeret per totius urbis Septempedanorum circuitum pone muros juxta viam flaminiam

(1) Gellius ex lib. Aug. de auspiciis.

regionibus certis determinatus, qui faceret finem urbani auspicii; ex Etruscorum ac Romanorum disciplina colligitur, aeque ac ex cippis repertis, qui ad designandos pomerii fines a majoribus nostris fuerant statuti. Quotque insuper extra pomerium ad orientem propter eamdem (1) militarem viam tumulos Septempedani excitarent, et quot in fronte, quot in agro pedes loci religiosi essent, in sepulcrali titulo notarent; liquet non solum ex iis a Muratorio ac Gentilio evulgatis, in quibus veterum simplicitatem, et breviloquentiam expressam videmus, sed etiam ex aliis mox adducendis, et in communi Septempedanorum sepulcro a *Dominico Valentinio*, *et Josepho Ranaldio* Patriarum antiquitatum investigatoribus solertissimis diebus nostris (2) defossis; quique, licet jejunorum formam praeseferant; tamen,

---

(1) Bergerius de pub. et milit. imp. rom. viis apud Grevium vol. 10. — Itin. Anton. apud Suritam; ita *Nuceriae. Dubios VIII. Prolaque VIII. Septempeda XVI. Troa VIII. Auximum XVIIII. Ancona XII.* — Iter ad Castrum Truentinum erat. *Septempeda. Urbe Salvia XII. Firmum XVIII. Ascolo XXIIII. Castro Truentino XX.*

(2) Anno 1823.

juxta (1) Gellianum illud, hoc etiam genus dicendi, quum caste, pudiceque ornatur, fit illustrius; quum fucatur, atque praelinitur, fit praestigiosum. En epitaphiorum verba.

C. Clepius C. L.
Sodalis. In
Agro. P. XXIII.
Sibi. et Suae Sepu

C. Clepius. C. L.
Sodalis. In
tro. P. XIIII. Sibi
. Et Suae. Sepul.

Machenae. F. F.
In. Agr. P. XXII.

C. Flavius. C. L. Faustus

Ser. Fulvio. Ser.
L. Suavis. Sibi. Et
Baebiae. L. L.
Chrestini
In Agr. P. XIIX.

C. Mussenus
T. L. Æsopus
Sibi. Et Suis
Parentibus
In Fr. P. XIV.
In. Agr. XX.

C. Flavius. L. F. Vel

L. Babrenus
. P. L. Philotinus
Sibi. Et. Patrono
Et Suis
In Fr. P. XII.

---

(1) Lib. 7. Cap. 14.

Epitaphia ista, monumentum familiae, et haeredibus sic adtributum esse declarant, ut unius maxime, aut paucorum causa extructum indicent: nam aliud proprium vix habent, quam formulam eam, qua jus sepulturae consanguineis patronis ac posteris tribuitur; quin referant, quorum decreto, aut consensu monumentum sit constitutum. Alia contra hic afferenda, nemine nominatim appellato, ad unam tantum familiam, aut gentem pertinere demonstrant, sive ii jam conditi, sive condendi sint.

In. Fronte	In F. P.	In Agr. P.
P. XV.	XIII.	XXII.

Eodem loco, quo longa lapidum series sese aperuit, vetus praenobile sepulcrum fuit detectum. Ædem totam extrinsecus rotundam fuisse constat, ex ingentibus lapidibus perpolitis, absque caemento inter se mire cohaerentibus convestitam, cui respondet basis pari artificio; et desuper nonnulli lapides fortissimi, et simpliciter ad instar titulorum oppositi superstant, in quorum uno sic legitur

M. Servili. M. F.

Et quia sepulcra nunc etiam, modo uni tantum fiunt, modo familiae quoque, et haeredibus, aut toti genti parantur; suspicor,

sepulcrum istud Servilii haereditarium esse, illudque ad haeredes etiam pertinere, sive suos ac necessarios, sive posteros ac successores, describendos forsan in titulis, nulla ejusdem gentis nomina praeseferentibus. Est nunc in aedibus publicis civitatis nostrae una cum cippis desuper allatis.

Ex his, quae subsecivis horis, et cum nonnihil otii a publicis muneribus, quibus fungor, mihi datum est, digessi; aliquid forsan laudis, gloriaeque civibus accedet. Eoque magis id puto post haec omnia, veluti e terrae salibus, et particulis, quae longa aetate iis adhaeserant, ad municipium nostrum illustrandum expolita; quaeque in causa fuerunt, ut recentia cum antiquis conferrem, aliaque multa scitu dignissima observarem. Caeterum, qui ante nos fuerunt, non viderunt omnia; non omnia nos vidimus, aut videmus: voluisse in his rebus, satis est. Liberum quoque unicuique debet esse judicium: uti nulli irascar, qui a mea discedat sententia; ita aequum est, me ea usum fuisse libertate, qua alienam sententiam repudiarem.

III.

De nova Septempedanorum civitate.

Cum de antiqua Septempedanorum urbe partibus superioribus disseruissem, jamtum series ipsa rerum hortari, et postulare ratio videbatur, ut in hac postrema recentiores veluti res lustrarem, et quae in eis initia, qui progressus, quae vicissitudines fuerint, accurate, ut poteram, diligenterque describerem. Esse enim hoc munus ab iis susceptum perspiciebam, qui origines reipublicae, vel civitatis cujusquam explicare aggrederentur; ut non solum, quibus praesidiis nata, atque confirmata universe, sed quorum etiam opera amplificata sit, atque in varias partes manarit, singillatim, distributeque agerent.

Ubi Narses regnum ac nomen Gothorum ex Italia delevit, eamque imperio orientis adjunxit; *Septempeda* nova, seu *Sanctiseverini* oppidum in vertice *montis nigri*, quo *castrum regale* assurgebat, quoque cives, uti satis attigimus, ex aedibus extorres confluxerant, facile reflorescere caepit. Sed brevi barbaro-

rum procella in eos recruduit. Narses enim tum Justini imperatoris injuria, tum Sophiae Augustae, eunuchum ad pensum revocantis, contumelia accensus; iram in rabiem vertit, et Longobardos e Pannonia in Italiam revocavit. Ii Alboinum regem secuti Galliam cisalpinam primo belli impetu occuparunt; et, Umbria, Etruriaque ferme universa in suam ditionem redactis, ducatus tres instituere, Forojuliensem, Spoletanum, Tuscumque. Hinc in eam Piceni partem populabundi transgressi, quae inter apenninum et adriaticum jacet, Septempedanos intra Spoletanae dominationis fines edixerunt inclusos. (1)

Decennio interim a Clephi obitu elapso, Longobardi triginta ducum regimen pertaesi Autharit ejus filium regem constituunt, qui (2) Flavii cognomen, ut barbari asperitatem nominis, romani adjectione, quodammodo deliniret, assumpsit. Et animus quidem horret ea prodere literis, quae in finibus nostris (3) ipsi gesserunt, dum Arnulfus, quem Arinlfum alii

(1) Bernardus Gentilius *Ant. di Settemp.* fol. 53.

(2) Paulus Diaconus lib. 7.

(3) Id lib. 4. — Brocukner *diz. geog.* vol. 1.

dicunt, gentis dux, qui Spoleti imperitabat, Romanos ad Camerinum vicit. Et quamvis orientis imperatores in Longobardicum bellum vehementer accensi, exercitibus in Italiam transmissis, strenue pugnassent; tamen ipsi, Persarum, Saracenorumque infestatione continuo distenti, urbem semel, et iterum obsessam, Beneventanum agrum, mox Tarentum, Brundusium, omnemque circumjectam regionem sibi ablatam, alpesque cottias subactas videre. Et cives nostri jamdudum contemplati erant instituta majorum, mores, magistratusque abrogatos, et in eorum vicem Gastaldium suffectum. Haec, quae retulimus, etsi certis non careant auctoribus, tamen verissime accedunt ad diploma Eudonis e Burgundia Episcopi Camerinensis, qui agros nonnullos, ut rectores perpetuo sequerentur, Virgini dono dedisse, et pro sua in Divam pietate templum excitasse refertur in Gastaldia Septempedana. (1)

Quod Gastaldii munus apud Longobardos tum esset, quodque decus in nostros ex eodem manaret; satis antiquis (2) ex legi-

---

(1) Turchius Cam. Sacrum in app. fol. 15.

(2) Luitprandus rex in leg. 6. lib. 6. ita loquitur: *Si*

bus eruitur. In capite septuagesimoquarto paraeciarum invenimus *Warnefridum Senae judicem*, qui etiam nuncupatur *Gastaldius Senae*. Et in vita Zacchariae papae, apud Anastasium, legimus *Ramingum Castaldium Tuscanensem*. Credibile quidem est, singulas

---

quis Gastaldius, aut Actor regis curtem regiam habens ad gubernandum, et ex ipsa curte alicui sine jussione regis casam tributariam, vel terram, sylveta, vel prata ausus fuerit donare . . . . . duplum componat. Idem de Gastaldiis tradit Rotarit rex in lege 378., et curtis regiae nomen passim in aliis usurpat ad aedem, fiscumque regis denotandum. Imo in lege 222 mandat, ut, *si parentes vindictam non sumant de muliere libera, quae servo nupserit; tunc liceat Gastaldio regis, aut Actori, aut Sculdascio ipsam in curtem regis ducere, et intra pensiles constituere.* Hinc nos edocemur, in amplissimum eorum ordinem, qui fisci res procurabant, Gastaldios esse amandandos. Jus insuper dicebant, uti licet praelibare ex lege 8. Pipini Italiae regis, ubi fisci res tam a comitibus suis, quam etiam a Gastaldiis, seu Sculdascitis diiimi edicit: et *si Gastaldius vel Sculdascius non fecerit, mulctetur.* Quod insuper Gastaldios armatorum manibus praeessent, constat ex lege 24. ejusdem Rotarit, qui ita jussit: *si Gastaldius exercitalem suum contra rationem molestaverit, dux eum soletur.* Ludovicus II. augustus voluit, ut nullum ab expeditione aut Comes, aut Gastaldius, vel Ministri eorum excusatum habeant.

urbes judicem, vel comitem, et simul Gastaldium habuisse: et unum idemque, in latissima Beneventani ducatus ditione, comitem et Gastaldium antiquitatis cultores fuisse tenent. Scimus praeterea ex Pauli diaconi historia, quae extat, rerum a Longobardis gestarum, Alzeconi Bulgarorum duci in Italiam suis cum militibus transgresso Grimoaldum Beneventi ducem ad habitandum tribuisse Sepianum, Bovianum, et Iserniam, aliasque cum suis territoriis civitates; ipsumque Alzeconem, mutato dignitatis nomine, de Duce Gastaldium vocari praecepisse. Et in quadam partitionis charta inter principes Beneventanos, et Salernitanos secutae videntur integra Gastaldata, seu ministeria, Tarentum, Latinianum, Cusentia, Lucania, Salernum, Capua, aliaeque. (1)

Jam decimum in imperio annum agebat Leo Isaurus, cum sacras ubique imagines deleri jussit, earumque plurimas nactus ipsa in urbe regia concremavit. Quo cognito, Gregorius pontifex anathemate eum perculit, popularibus ejus sacramento solutis. Hujus decreti

(1) Muratorius in dissertationibus.

fama romanos, campanos, ravennates, et pentapolitanos, qui sub graeco erant imperio, ab Iconomacho abrupit, et Septempedanos ecclesiae partes amplexos in novas primum calamitates conjecit, moxque ad spem libertatis erexit. Nam Leo per Exarchum foedus cum Luitprando Longobardorum rege ferierat, auxilia ad debellandos Spoletanum, ac Beneventanum ejus ipsius gentis duces pollicitus, dum tamen rex ipse romanam urbem junctis viribus expugnaret. Et si spes, visque omnis tunc cecidit; haud multo post (1) Trasemundus Spoletanus dux a Luitprando rege infesto agmine fuit appetitus. Et cum dedere illum romani, ad quos confugerat, abnuerent; urbs a Luitprando iterum obsessa est, et Vaticanum templum spoliatum. Caeterum, rege tum quidem recedente, Trasemundus amissum statim principatum recepit, atque iterum regis in se arma concivit. His igitur inter se dissidentibus, in maximum Italia discrimen fuit adducta. Est, qui vix usquam Septempedanos majorem cladem vel in pugna cruentissima ex iis mutuis

(1) Anastasius in Zac.

contentionibus accepisse tradit, oppidumque mirum in modum deformatum (1).

Gregorius interim, honorifica ad Carolum Martellum legatione instituta, enixe illum ad opem Italis adversus Longobardos ferendam hortatus est. Sed eorum res in Italia adeo subinde processere, ut Astulfus, cui Rachis frater Longobardiae regnum legaverat, Ravenna potitus, caetera Exarchatus oppida, ac Pentapolim sua in jura redegerit, et successu elatus in Spoletanam ditionem populabundus quoque irruperit, extrema minitatus romanis, nisi se, suaque dedidissent. Quare Stephanus pontifex ad Pipinum regem contendit in Galliam petiturus auxilium; et rex transgressus alpes Astulfum bello petivit, acieque victum, Papiaeque circumsessum tandem perpulit, ut Exarchatum, et Pentapolim, quae Anconam, et quatuor alias Piceni urbes continebat, pontifici traderet. Et haec nos summatim retulimus, dum municipales quoque res absque ordine, ratione, fineque minime scribi posse, semper putavimus.

(1) Consule Anon. relat. a Murat. vol. 10. — Geni. loc. cit.

Astulfo extincto, Desiderius successerat, qui regni proferendi avidus Ecclesiae invadit imperium. Hadrianus I. tum romanus pontifex non nisi Francorum fidem sibi implorandam ratus, nuncios ad Carolum mittit, qui Desiderio ablata pontifici restituere abnuenti bellum infert. Conscripto exercitu alpina claustra Longobardis militibus insessa irrumpit, et Ticinum, quo se Desiderius receperat, profectus urbem obsidet, eaque haudquaquam capta, magnis itineribus Romam petit. Exceptus est Carolus omnibus romanorum ordinibus obviam effusis, ipso autem pontifice pro foribus basilicae principis Apostolorum praestolante. Antequam vero discederet, Pipini patris donationem Romanae Ecclesiae factam non ratam modo habuit, sed urbibus compluribus, atque adeo provinciis, et spoletano ducatu adjectis, munificentissime cumulavit. Ticinum inde repetens, urbem civibus ac praesidiariis haustam militibus, ipsumque Desiderium in deditionem recipit, nobiliorem ad posteros Longobardico bello perdito, quam fuerit Alboinus inchoato. Caeterum Italiae partem, quam Longobardi tenuerant, retinet sibi: id regnum Italiae appellatum. Ex eo tempore Septempe-

dani, barba detonsa, et Longobardorum cultu rejecto, legitimum dominum habuerunt nullum praeter romanum pontificem, aut si quis ab eo datus esset. Et si quandoque, ut infra innuemus, saeculis factionibus plenis pro imperio steterunt; id factum necessitate potius, quam voluntate civium, qui non semper illatam vim propulsare, et motus a rebellibus concitatos compescere potuerunt.

Hinc quamdam reipublicae speciem, sub alto romani pontificis dominatu, apud nostros, uti in plerisque Italiae civitatibus vel oppidis, invectam fuisse reperio. Nam Leo III. Pontifex illustria ob Caroli regis in christianam rem universam merita Augustum eum appellaverat. Ita romanum imperium ob Graecorum Caesarum dissidia, atque ignaviam, destitutamque Italiae tutelam Leo ad Francos una cum Ecclesiae patrocinio detulerat, ea tantum Italiae parte, quae hinc a Neapoli, inde a Siponto in mare suis cum insulis e regione procurrit, imperio orientali relicta. Quare Otho I. Italiam jam a Saracenorum, Hungarorumque copiis satis longe conflictatam ingressus, urbem non modo, sed Italiam quoque pacavit, et veterem Pipini, Caroli, Ludovici donationem in

pontifices firmavit. Sed cum Otho II. paternam virtutem nomine magis, quam indole retulisset, et bellum cum Lothario Galliae rege, Germanisque (1) infeliciter gessisset; ejus majestas apud populares adeo exolevit, ut Italici populi, contempto Augusti imperio, passim libertatem usurpare caeperint, curis cum Episcopis quandoque partitis, nullaque forma, quoad consulum numerum, plerumque servata (2).

Ita in Lucensi pace ejus civitatis (3) sexaginta consules invenimus. Quod septem apud Mutinenses, duodecim apud Bergomates, quatuor, aut sex apud Genuenses primitus crearentur, Muratorius docet. Legimus, *Narnienses consules universales civitatis*, et *comitatus Narniae Carlei arcem* cuidam *Alifandae concessisse*. Sed non solum in civitatibus, ut ipse tradit, verum etiam in Oppidis, sub principum quoque potestate manentibus, nomen munusque consulum deinceps invaluit. Quare et cives nostri, qui, excusso Longobardorum jugo, veteris reipublicae formam revo-

(1) Sigonius lib. 7.

(2) Otho e Frisin. lib. 2. de gest. Frid. I. cap. 13.

(3) Muratorius p. 1. cap. 17. *Ant. esten.*

caverant, ex antiquitate repetierunt Decuriones et Consules, quorum erat jus dicere, de criminibus cognoscere, nummulariorum fraudes coercere, et quietem publicam procurare. Et haec Pontifices pro Septempedanis rata esse jusserunt, quoad vicissitudines permisere.

Modo enim Robertus, et Richardus Normandorum duces per Italicorum principum discordias in pontificia ditione animo infenso consedebant. Modo Henricus V. per Picenum Romam progrediebatur armata manu. Gliscentibus in Italia bellis, Laurentius Episcopus Camerinensis Septempedanae ecclesiae jura, una cum oppido, Warnerio, et Altrudae comitissae, ac Warnerio filio cedebat (1). Fridericus tandem Ænobarbus ab Ecclesia omnino alienus, Ghibellinorum, et Guelforum nominibus ex veteri Germaniae discordia repetitis, pestiferas factiones tota Italia excitabat. Antequam vero Vaticana aede per vim ipse potitus Paschalem pseudo-pontificem in Petri Sede statuisset; Septempedani (2) ferro, fame, pe-

(1) Turchius loc. cit. in app. fol. 25. — Murat. in Ant. Estens. — Otho a s. Blasio in app. ad chron. Frisingen — Compagnon. reg. pic. lib. 2.

(2) Lilius *ist. camerin.* lib. 2.

stilentia domiti ejus in fidem venerant. Sed brevi cives ex composito a Laurentio, et Ænobarbo defecere, et ex veteri consulum instituto minime recesserunt. Nam dum Fridericus cum instructissimo exercitu ad Longobardiae, Romaeque excidium redibat; Capitulo nostro dedit diploma, in quo *Petrini*, et *Offrodicii* consulum Sanctiseverini (1) nomina assurgunt. Sed postquam Ænobarbus pacem cum Alexandro firmavit, et Venetias ad eum profectus pedem pontificis venerabundus osculo contigit; novam regiminis formam apud Septempedanos invectam fuisse reperio.

Quum pro enervata imperatorum potentia jura humana, ac divina penitus essent contempta, et proinde (2) civitates ubique libertatem omnimodam affectarent, et consules jus privatum, et publicum tyrannice regerent; Itali tum univoce ferme edixerunt, ut inter alienos in urbibus, oppidisque Praetor eligeretur, qui consulibus, et magistratibus prae-

---

(1) Turchius loco cit. fol. 29. — Liinig. cod. *ist. diplom.* vol. 1.

(2) Muratorius de antiq. med. aevi vol. 4. — Joannes Villani — Panvinius, aliique.

esset, sive, ut ex veterrimo romanorum usu dicere amarunt, *Potestas* (1). Hoc vero munus adeo apud Italos, in liberis praecipue civitatibus, tum erat, ut eo principes cohonestaren-
A. C. tur, aut qui dignitatem equestrem essent ade-
1190 pti. Et si anno 1190 *sapientes et consiliarii civitatis* (2) Genuae *statuebant, ut consulatus Communis in futuro anno cessarent, et de ha-*
A. C. *bendo Potestate omnes fere fuerunt concordes:*
1193 Si anno 1193 Florentini primum eorum Potestatem dicebant Gerardum (3) Caponsaccum; res quoque Septempedanorum publica, jubente
A. C. Innocentio III. a Consulibus ad Potestatem per-
1199 venit. Jam tum enim anno 1199 in foedere cum

---

(1) Usque a primaevis latinae linguae temporibus ejusmodi nomen ad populi magistratus denotandos per ora hominum traducebatur. *Mites praestare dominos Potestatesque exorabiles*, legimus lib. 29. cap. 4. apud Plinium. *Jussit Potestas officialem suum magna severitate coerceri*, scripsit Apulejus. Claudius imperator jurisdictionem de fideicommissis in urbe delegari magistratibus solitam, atque etiam per provincias, *potestatibus* demandavit, teste Svetonio in vita Claudii cap. 23. Et Juvenalis sat. 10. vers. 99. alt.

Hujus qui trahitur, praetextam sumere mavis,
An Fidenarum, Gabiorumque esse Potestas?

(2) Ex contin. Caffari lib. 3. ex annal. Genuae.

(3) Ammiratus junior *ist. Fiorent.*

Fabrianensibus, aliisque (1) percusso *filius Midonis Sanctiseverini Potestas* ex publicis tabulis innotescit. In iis vero agebatur, ne arma inferri possent in Pontificem, et Marquardum Annivilerium, quem Henricus VI. Augustus, exauctorato marchione Goctebaldo, Ravennae ducem, et Marchiae anconitanae marchionem declaraverat, quique a pontifice confirmationem obtinere autumabat. Sed ipse tum fuit ipse delusus; et quot in provincia turbas civerit, quot rapinas, et caedes perpetraverit, ex historia satis est compertum.

At recuperata (2) ab Innocentio Marchia, plures ex eadem provincia urbes mutuis inter se flagrare odiis caeperant, ac dissensiones non leves inter castra, et oppida oboriri. Et licet Cinthius Cencius, et Joannes e sancto Paulo Cardinales itemque Legati pro pace statuenda strenue laborassent, quemadmodum Piceni chronografi tradunt omnes; tamen illico Comes de Celano Marchiam anconitanam fere omnem in suam redegit potestatem, et tyrannum potius, quam marchionem cives nostri eum fuerunt experti.

(1) Marangonius *ist. di Civ. nov.* lib. 3. cap. 4.
(2) Raynaldus annal. eccl. vol. 13.

Haec inter Otho IV. augustalibus ab Innocentio titulis, et diademate ornatus, jurisjurandi, ac promissorum immemor (1) Perusiam, Urbemveterem, Viterbium, ac totum divi Petri patrimonium per summam injuriam vi cepit. Hinc ducatum Spoletanum Bertholdo familiari suo dono dedit, et Apuliam tandem invasit. Fotis tantisper Comitis rebus, Azzoni VI. Atestino beneficiario jure (2) Marchiam
A. C. ipsam tradidit, datis in oppido nostro, apud
1211 quod anno 1211. castra posuerat (3), Alberto canonicorum Priori imperialibus literis. Haud
A. C. multo post Azzone defuncto, Aldebrandinus
1213 filius anno 1213. idem provinciae imperium, seu eamdem, ut ajunt, investituram (4) ab Innocentio accepit. Quum Aldebrandinus quoque occubuisset, Honorius III. quae decessor Azzoni et Aldebrandino, eadem (5) ipse Azzoni VII. contulit. Dum ita Marchio anconita-

(1) Id. ib. sub. anno 1209.

(2) Muratorius *Ant. esten.* p. 1. cap. 39.

(3) Compagnonius reg. pic.

(4) *Cum annuo censu centum librarum Pruvinensium.* Muratorius loc. cit.

(5) Id. ib.

nus super comitatus nostri dominio imperabat, et Pandulphus e Savellia gente a pontifice in Marchiam ablegabatur una cum patriarcha Aquilejensi, ut in ejus possessionem Atestinum immitterent; miseram intuentium oculis scenam oppidani nostri jam aperuerant.

Ex quo Augusti ex Germania, Hungariaque in Italiam (1) pro afflictis imperii rebus tutandis venerant; nobiles ac praedivites viri eos fuerunt secuti. Inter hos Octavianus ille est recensendus, ex quo castri Trusciae comi- A. C.
tes (2) deduxerunt originem. Ii anno 1218. no- 1218
bilitate, et opibus superbiebant, modo unam, modo alteram illorum temporum factionem foventes, et pro utraque intrepide propugnantes. Quare inter comites ipsos, et oppidanos nostros intestinum odium exardescebat, publicis etiam dissidiis non modice adauctum: quae in causa fuerunt, cur Septempedani extremam castri ruinam meditarentur. Armatorum igitur

(1) Otho e Frisin. — Consule Petrum Giordani *antol. di Firenze n.* 49. *gen.* 1825.

(2) Franciscus Pamphilus de laud. Pic. cecinit.
Truscia nobilium praesignis origo virorum,
Viribus, ingenio claruit ampla diu.

manu comparata, castrum (1) obsidione circumdederunt, et tandem, proditione firmata, milites in castrum stricto gladio ingressi illud miserrime everterunt. Compromisso (2) hinc interposito, in oppidum nostrum extorres Comites migrare, et in nobilium numero (3) haberi caeperunt, magnitudine ac varietate rerum gestarum tunc sane praecipui, et in posterum quoque in Caccialuporum, Francorumque familiis.

Sed jam Fridericus II. Ænobarbi nepos improbitate cum avo et Henrico patre certabat. Imperii enim titulis ab Honorio III. honestatus in pontificiam ditionem impetum fecerat, Guelforum, Ghibellinorumque factionibus longo intervallo (4) revocatis. Quare summo furore, et strepitu milites huc illuc ingressi omnia percurrere, omnia diripere, cladibus, incendiis, luxuriis fraena laxare jam caeperant. Idipsum discordiae semen jam creverat inter Pyranos, et nobiles illos castri

---

(1) Valerius Cancellottus *ist. settemp. m. ss.*

(2) Lilius loc. cit. p. 1. lib. 8.

(3) Ex rogitibus Benvenuti

(4) Sigonius lib. 15. 16.

Casavollae dominos, qui tamen, quacumque
A. C. subjectione abrogata, in oppidi nostri (1)
1216 fidem jam venerant anno 1216. Sed vix de-
cennio transacto, pro fessis, atque labantibus
castri rebus propter assiduam Pyranorum im-
pressionem, diuturnaque nimis bella, validio-
ri auxilio sublevandis, quae sibi agenda esse
ea de causa putabant, nobiles Casavollae effe-
cerunt; ne committerent, ut, elapsa rei bene
gerendae occasione, tueri postea cum vellent
sua ipsorum bona, minime possent. Itaque cum
Pyranis facta haud aequis conditionibus ipsius
castri deditione; bella, incursiones, et hosti-
A. C. litates Pyranos inter, et nostros sunt ortae,
1234 quae ad annum 1234 fuerunt protractae.
Sed rursum manus consertae tanto equidem
odio, ut extremam Casavollae vastitatem edi-
derint (2).

Quum interim marchiones Atestini aliis negotiis distracti longe a Piceni provincia distarent; Pontifices, eorum procuratoribus exauctoratis, eam per Legatos administrabant,

---

(1) Turchius loc. cit. fol. 116.

(2) Id. *dissert. ist. della Valle di S. Clemente* apud Colucium.

qui Marchionum causam strenue tuebantur. Caeterum Septempedani, ut Pontificum jussa implerent, se Legatis obtemperaturos esse promiserunt, et res illis haud infeliciter cessit, donec rationibus a jure petitis, ac forensi actione decertandum fuit. Non ita vero factum est, quum per Friderici exercitum ad arma denuo conclamatum est. Quae caedes, quae incendia illata per illum fuerint, historiae periti norunt omnes. Et Septempedani, quum armorum tem-
A. C. pestatem repellere nequaquam possent, ma-
1240 nus (1) dederunt victas. Nam comitatui nostro supremam propemodum stragem milites ipsi attulerunt; et immoderata affecti cupiditate praedas ex valle Fabriana egerunt egregias. Sed nondum duces coenobio divo Mariano sacro furentes copias admoverant; cum Severinus
A. C. abbas male sibi, suisque ab hostibus me-
1241 tuens (2) ad moenia nostra confugit, ut fusius suo loco erimus dicturi. Coenobium vero antiquissimae structurae, medium vallis locum occupans, ut ab hominum memoria aboleretur,

(1) Juxta computum Raynaldi ann. 1240.

(2) Ex rogitibus Angelderii.

debacchantibus flammis (1) miserrime fuit crematum.

Sed in ultimum jam venerat discrimen romana res; et Innocentius IV. pontifex animadvertens, Fridericum sibi domi, forisque insidias struere, in Franciam tetendit, ibique in concilio Lugdunensi Friderico jus imperii, titulumque abrogavit. Tum ille impium Pontifici rursus intulit bellum, et Marchiae anconitanae opes universae (2) ad extremum periculi, duce ejus filio Raynerio, (3) jam vergebant. Sed atroci morbo, seu potius Manfredi dolo ipse fuit extinctus, et Innocentio A. C.
in Italiam redeunti anno 1251 Septempedani 1251
cum reliquis Picentibus se dederunt.

Manfredus, ne gratuitum foret parrici- A. C.
dium, paternum regnum per tutelae speciem 1252
occupavit; et Nucerinis Saracenorum copiis subnixus invadit pontificiam ditionem. Caeterum a pontificio Legato Germanicis copiis repressus est. Et si oppidum nostrum a Romana

(1) Ex diplomate Philippi Ep. Cam. VIII. kal. maii 1241. penes Turchium loc. cit. fol. 74. in app.

(2) Pandal. Collinuccius *ist. Neap.* lib. 4.

(3) Marangonius loc. cit. lib. 3.

Ecclesia deficere hac vice haud coactum fuit; parem non potuit operam impendere, ut se in posterum a Manfredi tyrannide subduceret. Nam licet Urbanus IV. pontifex Francorum armis, qui ad Syriacum bellum nomen dederant, Saracenos Piceno praecipites ageret, et mox Carolum comitem Andegavensem ad spem evocaret Siculi regni; tamen (1) Manfredus Picenum occupavit, et magnam cladem (2) Percivallis de Orio intulit iis qui pro Pontifice pugnabant. Tum (3) Firmum, tum (4) Camerinum aliaeque civitates, quae sub Ecclesiae ditione degebant, misere direptae, atque
A. C. abactae. Iis sane infortuniis oppidum nostrum
1258 anno 1258 occubuit (5), donec Carolus regni titulo nitens, ad Beneventum collatis signis cum Manfredo conflixit, et tyranno victo cae-

---

(1) Joannes Villani lib. 6. cap. 7.

(2) Corius *ist. Mil.* p. 2.

(3) Adamius de reb. gest. Firm.

(4) Turchius Cam. sacr. fol. 211.

(5) In tabulis Trusciae comitum — *anno* 1258. *regnante duo. nostro Manfredo Dei gratia serenissimo rege Siciliae anno ejus I.* — ex mss. B. Gentilii. — In rogit. Pauli ita habemus — *anno* 1261. *regnante D. Manfredo rege Siciliae regni ejus anno III.*

soque, regno fuit potitus. Hinc sub Clemente IV. pontifice, pace tandem Italiae parta, statim Septempedani ad Ecclesiae gremium convolarunt.

Dum Marchia Anconitana tot annorum perpetuis bellis defessa, pace fruebatur mul- A. C. tis conditionibus inita; anno 1279, ipso die 1279 Philippo, et Jacobo apostolis sacro provinciam (1), ac oppidum nostrum horrendum in modum concussit terribilis terraemotus, domusque diruit quamplures. Interim nova reipublicae forma, ex quo Carolus Andegavensis expectabatur, Romae, absente Pontifice, erat inchoata, et *regionatim* magistratus creari caepti cum potestate vitae necisque. Civitatibus passim ab ipsis Augustis venalis proponebatur libertas, et magistratus sibi, et vexilliferum ipsae creabant. Huc populorum voluntas vim juris obtinuerat, illuc vis erat pro jure. Hinc ad hujusmodi tumultus inter plebejos, et no- A. C biles apud nostros etiam tollendos anno 1307. 1307 regiones in oppido, et (2) *contradas* ita di-

(1) Muratorius rer. ital. vol. 8.

(2) Ex lib. refor. ann. 1307. — Murat. loc. cit. vol. 15.

ctas, ac in eisdem vexilliferos Septempedani constituerunt. In hoc autem usque ad annum 1427, animis licet (1) quandoque infensis, adeo perdurarunt, ut ab iis regionibus *magistratus*, *et consul artium* in oppido crearentur, donec anno 1532, auctore Benedicto de Accoltis cardinale Ravennae, et Marchiae Anconitanae Legato, plebe a rebus publicis pulsa, nobilium statum cives ipsi induxerunt (2).

Haec inter quae rixae hac de re inter nobiles, populumque in oppido nostro exarsissent, longum esset referre. Nam per eam occasionem, cum novis alborum, nigrorumque nominibus, vetera odia undique erant renovata; et Henricus VII. caesar Romam petens jam turbabat Italiam, et, ex oppidis (3) Guelfis ejectis, Ghibellinos passim restituebat. Tum Clemens pontifex veritus, ne Caesar Romam occuparet; Roberti Neapolitani regis fidei urbem commendabat. Sed varia deinceps Germanorum procerum in successore demortui Caesaris creando studia

(1) Ex lib. refor.

(2) Ex lib. refor. consil. 16. novembris 1532. sub. *datum sanctiseverini*.

(3) Joannes Villani lib. 8. et 9. — S. Antoninus p. 3.

jam diviserant imperii vires. Duo enim erant Caesares lecti, Ludovicus Bavariae, et Fridericus Austriae, duces, qui ingentes conciverant turbas. Ludovicus igitur, inita cum Matthaeo Vicecomite societate, Genuam bello premebat; ut Ghibellini exules restituerentur. Mox, victo captoque Friderico imperii aemulo, Romam venit. Factum tum est, ut civitates quamplu- A. C.
res in ipsius Ludovici concederent potestatem. 1327
Quae sane calamitas, uti ad multas Piceni urbes, ita ad oppidum nostrum pervenit, novis repente in pontificia quoque ditione tyrannis (1) exortis. Nam, uti Galeottus Malatesta Arimini, Franciscus Ordelaphus Forolivii, Manfredus Faventiae, Polentanus Ravennae; ita Smedutius inter nos tyrannidem affectavit, imperii partes sequutus.

Pacata tantisper Italia, Benedictus XII. pontifex Legatum ad componendas res urbanas destinat Romam. Inde Luchino Vicecomiti, Guilielmo Gonzagae, Martino Scaligero, Obicioni Estensi principatus ratos facit. At Bavarus Caesar gratiam Pontifici relaturus, dominatum a

(1) Id. lib. 12. et 13.

A. C. privatis in pontificiae ditionis oppidis partum
1342 pro imperatoria potestate anno 1342 ratum (1) esse jussit. Viterbi Vicanus, Caesenae Sinobaldus, Urbini Feltrius, Pisauri Malatesta, Camerini Varanus, Fabriani Clavellus, Mathili-
A. C. cae Bulgaruccius, alii alibi Vicarii imperii
1343 extiterunt, et penes nostros Smedutius. Rebus ita compositis, ut, quod quisque cepisset, ad sedandas civiles discordias retineret; oppidum utique tyrannide vehementius oppressit Smedutius, civibus ad tuendam libertatem frustra concitatis. Nam multitudo, etsi rerum novarum cupida, potiusquam ipsum valeret vi e regimine amovere fotum a dominis de Lornano, qui et internos per ea tempora opibus mirifice creverant, frenum, ut equus, mordere (2) coacta fuit, et non sine animi moerore prospicere rem ejus publicam auctam; quum non minimam partem (3) agri nostri liberam, optimoque jure subjectam ipse habe-

(1) Tarcognata part. 2.

(2) Prostat adhuc in turri civitatis nostrae lapis a Smedutio positus, et fraeni signum praeseferens.

(3) Turchius loc. cit. pag. 39.

ret, castris qua coemptis, qua vi in deditionem acceptis, aut fiduciario jure retentis (1).

Iisdem ferme diebus, quibus Clemens VI. pontifex e vivis nondum excesserat, Joannes Vicecomes (2) Archiepiscopus Mediolanensis molestissime ferebat, Guelfos paulatim in Italia nidificare, et augeri viribus, atque eo nomine illos quoque minime in Etruria, et in Marchia Anconitana passurus videbatur. Quare missis undique cum mandatis, et auctoritate nunciis, ut consiliis omnibus et pacis, et belli interesseut, fit magnus (3) oppidorum concursus, et A. C.
anno 1353 foedus Archiepiscopus percussit, 1353
non sine (4) gravi Ecclesiae injuria, cum nonnullis provinciae nostrae dynastis, inter quos

(1) Plura de Smedutiana gente Joseph Raynaldius in commentario enarravit. Ipse libros omnes civitatis nostrae pervolvit, diligenter ponderavit, ac, conservatis, notatisque temporibus, in ordinem redegit, atque transcripsit. Res sane plena fuit laboris, et molestiae: mihi vero religio fuit exemplar inspicere, et majoris momenti actorum fere omnium autographa ipsa passim in tabulariis per eum inventa.

(2) Joannes Villani lib. 2. et 3.

(3) Ital. sacr. archiep. Mediolan. vol. 4.

(4) Compagnon. reg. pic. lib. 5.

Smedutius (1) numerandus, auctore Malatesta de Malatestis Ariminensi, qui Joannis erat studiosissimus. Neque id sane mirum etiam in oppido nostro evenisse. Nam inter principatus Caroli IV. initia Nicolaus Laurentii, multitudine ad spem libertatis erecta, tribunitium nomen, ac potestatem imperatoriam in urbe invaserat. Inde omnes ferme Italiae populos libertatis dulcedine delinitos perpulerat, ut pacem ab eo, amicitiamque peterent. Ast dum importuni libertatis vindices unam, Marchiae oppidorum factionem amplexi passim alteram offendebant, et ruinae proximi in lubrico stabant, pejoribus etiam artibus, quam quaesierat, tyrannidem suam jam Smedutius firmaverat.

Lue, qua non alia foedior, ac funestior memoratur, e Scythia in Graeciam transgressa, inde, Illyricum emensa, Italiam pervadente, parumper fuit cessatum ab armis, et Carolus caesar ad urbem profectus, Pontificis nomine,

(1) Cancellottus *ist. settemp.* mss. — In chronaca Senensi Andreae Dei, et Angeli Turae editi a Muratorio rer. italicarum — 1346. *Stefano di Smeduccio da Sanseverino nella marca fu Potestà di Siena in Calendi di Luglio* — 1355. *Cola di Smeduccio.*

imperii insignibus ornatus, intacta cessit Italia. Sed cum impotenti quadam arrogantia adhuc totius Marchiae Anconitanae imperium sibi deterrimi Ordelaphi essent polliciti; auctores illius invadendae statim fuerunt (1) Morreali, cujus crebrae victoriae celebrem illum apud Francos, Germanosque reddiderant. Cum is tyrannorum ingenium, et vires, eorumque mobilitatem, et inter se discordiam sedulo exploravisset; ea occasione arrepta, pontificiam ditionem, multis ex iis profligatis, occupavit. Sed non diu ea prosperitate fretus Marchiam ipsam (2) praedabundus adiit, licet oppidum A. C. nostrum anno 1354 tanto impetu caeperit op- 1354 pugnare, ut moenibus denudasset (3), nisi Septempedanorum statui Smedutius consuluisset. Antequam vero finibus nostris excederet, magna annonae penuria aliisque rationibus permotus, agrum saeva barbarie militi diripiendum objecit, et, quod miles rapax tollere non potuit in *Cesalongae* pago, flamma vorax absumpsit.

---

(1) S. Antoninus tit. 21. cap. 9. — Compagnon. loc. cit.

(2) Acciajolus — Muratorius rer. ital. vol. 14.

(3) Grassius in ephem. septemp. mss. — Cancellottus loc. cit.

Ast cardinalis Ægidius Alvarus Albornotius
Archiepiscopus Toletanus Innocentii VI. Legatus
qua vi, qua metu jam recipiebat quicquid novi
dynastae in Piceno, Umbria, Aemilia occupa-
A. C. rant. Dynastarum tamen conditio varia pro
1355 cujusque meritis fuit. Malatestae, Polentano,
Varano, Smedutio (1), quod obsequentiores
Pontifici fuerant, fiduciarius principatus reli-
ctus; Ordelaphis, caeterisque bello domitis,
atque ejectis. Vix dum igitur pontificia ditio
liberata ab hostibus fuit, et blanda quadam
lenitate perfusus Smedutius in oppidum fuit
reversus; cives haud illum amplius viderunt uti
alterum Ariovistum, aut Rotomalcem, aliquo
scilicet vultu cimbrico, et feritate gothica me-
tuendum. Nam passim humanitatis, abstinen-
tiae, atque justitiae monumenta reliquit: mi-
litum licentiam diuturna impunitate confirma-
tam repressit; et quam propenso idcirco idem
A. C. Cardinalis legatus in eum esset animo, lucu-
1359 lenter sane declaravit anno 1359, in quo ei
fiduciario nomine *Pyrum*, et *Domum* adtri-
buit (2).

---

(1) Ex diplomate Innocentii VI. ann. 1355.

(2) Ex literis Anconae obsignatis ann. 1359. apud Turchium fol. 270.

Dum haec agebantur, Andreas Gentilis de Rovellono Rotorsii dominatum exercebat, et ad eum Ægidius nuncios miserat, ut agerent de pace. Quod cum ad aures Malatestae Ariminensis tyranni pervenisset; statim ad Andream nonnullos legaverat, ut eum ab Ægidiana averterent (1) amicitia, eique promitterent, se illi omnia Conradi Gentilis jura in valle sancti Clementis redditurum, si adversus Pontificem secum vellet sentire. Quare ipse ab Ecclesia defecerat; et cum Malatestis pacem Ægidius minime tractare ratus, Andream Rotorsii finibus excedere jam coegerat, donec anno A. C.
1365. Smedutiae genti castrum ipsum pretio florenorum 4500. cessit (2). 1365

Ex Italia interim, quo missus fuerat ab decessore suo ad res Ecclesiae procurandas, reversus Guilielmus Grimoaldus Avenionem, consecrabatur nomine Urbani V. Viros ipse literatos diligens, et beneficiis et honoribus afficiens, juvenes mille diversis in accademiis studiorum causa suis alebat impensis, libros-

(1) Gentilius *ist. scttemp.* mss.

(2) Turchius fol. 153.

que suppeditabat, publicis scholis passim restitutis. Ne igitur inter tot molesta exterorum principum arma, hostium irruptiones, frequentesque civium dissensiones, quae urbes, resque publicas diu multumque perturbaverant, irrita omnino caderent inter nos
A. C. pontificis vota; viros doctos (1) in oppidum
1366 trahere studuerunt cives anno 1366, qui stipendio (2) constituto literas in gymnasio rursus profiterentur. Sed, Smedutio extincto, quae successere tempora, ut oppido, ita et literis infelicia fuere.

Florentini Pontificis legato infensi vexilla complura, ubi aureis literis inscriptum erat, *libertas*, per cohortium duces circum Ecclesiae urbes misere, populos ad rebellionem a Pontifice invitantes. Immane dictu, quam facile omnes libertatis dulcedo pellexerit! Universae pene Tusciae, Flaminiae, Æmiliae, et Piceni (3) civitates atque oppida ab Ecclesia defecere. Tum Bartholomaeus Smedutii filius, qui in oppidi nostri, Pyri, aliorumque castro-

(1) Ex lib. reformao. ann. 1366.

(2) Frater Antonius abbas s. Mariae Vallisfucinae.

(3) Saracenus *ist. Ancon.*

rum principatum patri cum germano suo Cola (1) successerat, infenso in Pontificem erat animo. Quare, collatis signis, montium angustiis egressus, praetervectusque Umbriae fines ad Tusciam usque pervenit. Ad eum confluxere Florentini, Pisani, Lucenses, Perusini, Bononienses, qui ignominiosae perduellionis comites esse voluerant, obsecrantes, ut imperii munus susciperet. Ipse igitur foederatorum ducis nomine se haud indignum professus, semper strenui (2) imperatoris munus implevit. A. C.
Et anno 1375. Picentum fines iterum ingressus ad arcem Cingulanorum accessit. Matthaeus 1375
Martini, Benutinus, Ugutionus, et Maxius de Tanarellis eum gratulabundi exceperunt; et milites agminatim irruissent in oppidum, nisi magistratus claves obtulissent, illum enixissime obsecrantes, ne hostes intra muros admitteret. Ad haec Bartholomaeo cunctanctius respondente, milites certatim in oppidum irrumpunt, frustra deprecante Cortisio de Lambertinis Bononiense (3) pro Romana Ecclesia Praetore. Ita

(1) Ex diplomate Gregorii XI. 15. maii penes Turchium.

(2) Poggius *ist. Fioren.* — Turchius fol. 270.

(3) *Osservaz. crit. sopra le antic. crist. di Cingoli* fol. 448.

vaferrimo libertatis vexillo e summa Cingulanorum arce expanso, ut Piceno tumultuanti captos cives significaret, ad Marchiam oppugnandam animum ipse adjecit.

Gregorius XI. ratus, ea mala ex Pontificis absentia orta, ejusdemque praesentia discuti posse, Catharinae Senensis impulsu tandem remigrat Romam. Statim cives ad pontificem detulerunt, Smedutiam gentem non solum Ecclésiae hostes, quemadmodum Marchiae Rector ei mandaverat, expellere noluisse; verum etiam oppido nova onera imposuisse, atque ad ea persolvenda coacturam interminari novis modis. Quae cum ejusmodi forent, ut Pontifici ferenda esse non viderentur; mandavit civibus, ut sine ulla mora eos hostes, quos Smedutii exceperant in oppido, ejicerent, et locum post hac, atque perfugium Smedutiorum nemini darent. Et ut arrogantiae, qua in Ecclesiam Bartholomaeus ipse, aliique erant usi, eos poeniteret, ab eorum dominatione (1) sub-
A. C. traxit Pyrum, Domum, Retorsium, et Preci-
1377 chiarum castrum anno 1377. Sed Bartholo-

(1) Sub datum romae apud s. Petrum idib. febr. apud Turchium fol. 270.

maeus non defuit sibi: et Florentinis, caeterisque populis, qui a romano Pontifice desciverant, sese rursus adjunxit. Cum vero ducum non eadem rei gerendae consilia essent, aliis aliud suadentibus, et ideo Ecclesiae milites in omnem nocendi occasionem diligenter essent intenti; Smedutius, de victoria dubitans, misit e suis, qui Urbani VI. pontificis animum explorarent, dum vehementer dolebat, vix ullum in agro nostro securitatis locum ei fuisse A. C. relictum; et anno 1379 civibus ipsis vitae, ne- 1379 cisque potestatem fuisse adtributam (1).

Hac tempestate initium schismatis, omnium, quae hactenus Ecclesiam turbarunt, teterrimi atque longissimi; quinquaginta enim annos, pontificibus Romae aliis, aliis Avenione commorantibus, Ecclesiam habuit sollicitam. At cum Urbanus induciarum tandem, quae plane simulatoriae erant, pertaesus statuisset cum Florentinis, aliisque Ecclesiae hostibus foedus percutere; perquam honorifice anno 1379. in fidem ipse recepit (2) Bartho-

(1) Ex diplomate 18. febr. in secretiori tabulario civitatis nostrae asservato.

(2) VII. Kal. novemb. 1379 — *Ecclesiae romanae servitiis honorabilibus occupare* — Consule Cancellotium loc. cit.

lomaeum; et eum una cum Honufrio Colae filio Vicarium apud nos (1) jussit, antiquo Smedutiorum dominatui *Carpignani* castrum superaddens. Rebus tam prospere ad eorum voluntatem in pontificia aula fluentibus, magis
A. C. etiam ferociter ipsi caeperunt. Conati enim
1388 sunt anno 1388. Honufrius, et Robertus fratres tyrannidem omnimodam fraude obtinere. Invadunt ideo Bartholomaei, et Smedutii ejus filii aedes horis nocturnis, eas vi occupant, vigiles et plerosque ex familia perimunt, donec, jugulatis omnibus fortissime repugnantibus, Bartholomaeum, et Smedutium adigunt pro meritis poenas luere, easque valde acerbas in arce prope Trusciam. Nullam interim dissidentibus cives ferebant opem; imo sese egregie communierant, si quid fortassis Smedutii in publicam utilitatem vellent moliri. At Franciscus Colae de Amatutiis, et Silvester

(1) Prostat in civitate lapis, ut infra:
Al nome di Dio amen 1386. Al tempo de' M. Urbano papa VI. indizione 9. regnante M. Carlo da Durazzo re de' Ungaria de Jerusa leme e de Sicilia al tempo de' nobili signori M. Bartolomeo de Smedutio, et Honofrio di Cola vicarij per santa Chiesa de roma.

Ciccarellus ob singularem eorum fidem, rerumque peritiam, a Smedutiis facti suorum consiliorum conscii, incomparabili sane diligentia (1) res periculi plenas vindicarunt. Ipsi enim egerunt, ut Bartholomaei, et Smedutii die vigesima sexta aprilis (2) vincula rumperentur, dummodo oppidi principatum Honuphrio, et Roberto concederent.

Verum non ignari, quantum ex ea ditione ipsi commodi haberent; tum etiam veriti, ne eo abjectionis statu Bartholomaeus minime contentus etiam aliena, et sua praesertim mox invaderet, nullis precibus potuerunt adduci, ut paterna jura Honufrius, et Robertus communia relinquerent. Quare illi castrum Retorsii, A. C.
et Schiti arx obvenit, isti Trusciae, Montis 1933
acuti, et Civitellae (3) propugnacula. Sed statim novas rerum perturbationes in oppido id peperit. Nam, ne Honufrius in Robertum primus arma vertisse videretur, Retorsii, et Schiti Regulum sibi invadendum statuerat Robertus, ut, ditionibus ejus in potestatem redactis,

(1) Ex rogit. Vidonis, et Joannis Viduccii.

(2) Ex libro Brevium diversorum.

(3) Ex actis Thomae Stephani.

expeditum in cives dominatum haberet. Igitur Marchia Anconitana anno 1393. durissimo seditionum tumultu agitata, e quibus magnum Andreae Thomacello rectori (1) periculum creabatur; ipse a Pontifice miserrime defecit; et jam victoria ferox hanc unam spem pacis civibus ostendebat, si se, suaque permitterent victoris arbitrio. Crevit tum Honuphrio ex desperatione animus, et ultima experiri, quam indigna pati oppidum maluit. Sed omnes improviso malo perculsi, ac terrore domiti eamdem conditionem a Roberto acceperunt, quam Honuphrio ipse ostenderat, haud leve temperandae victoriae documentum (2).

Haec inter Bonifacius IX., etsi visus esset quasi primus omnium Romanorum Pontificum omnem populi romani (3) vim sustulisse; tamen veritus summopere, ne Ludovicus Andegavensis potiretur regno neapolitano, atque

---

(1) S. Antonin. in 3. p. tit. 2. relat. a Reynaldo sub anno 1393.

(2) Marangonius loc. cit. fol. 305.

(3) Abrahamus Bzovius ad ann. 1394. — Ægidius card. viterbien. apud. Victorellum in additionibus ad Ciaconium vol. 2.

inde gradum in Ecclesiae ditionem inferret; plures ejusdem Ecclesiae urbes viris nonnullis potentioribus (1) dedit fiduciarias, tributo imposito in annos singulos. In his Ferrariam Alberto marchioni Atestino, Camerinum (2) Gentilio Varano, Fabrianum Guidoni et Clavello, Mathilicam Guidoni, et oppidum nostrum Honuphrio, et Antonio ejus filio, spe tantum successionis Roberto elargita. Ita cladem otium est consecutum; et haud multo post, cum utrique bellis, malisque essent fatigati, pax A. C.
inter eos stabilis constituta anno 1396. Dum 1396
haec in oppido trahebantur, moritur Bartholomaeus (3) in Civitellae arce, apud quam, annuente Bonifacio IX., sese contulerat, sensim in eum hydrope irrepente, vir rebus omnibus jam florentissimus, longeque omnium (4) strenuissimus: nam ob multiplices a copiis suis relatas victorias - *Bartolomeo della vittoria* - fuerat proclamatus (5).

(1) Vide Raynaldum ad haec tempora.

(2) Marangonius loc. cit.

(3) Cancellottus *ist. settemp.* mss.

(4) Scipio Amm. *ist. Fiorent.*

(5) Turchius loc. cit.

A. C. Aderat jam saecularis jubilaei celebritas,
1400 quae Romae a Bonifacio agitata est anno 1400. Sed non alia aetas inusitatis, et atrocibus principum casibus foecundior extitit, aeque ac civium nostrorum, qui idcirco direptum saevissime oppidum ipsum semel, et iterum viderunt, res publicas turbatas quam maxi-
A. C. me (1). Sub id tempus, quo Rodulphus Va-
1404 ranus contra pacem rursus cogitabat, et arma (2) ab eo comparabantur, quibus Honuphrium Smedutium, et castrum Ficani, ac Civitellae arcem, ditionem ejus, aggrederetur; dissidium omne Neapolis rege Romanae Ecclesiae signifero ac defensore tandem dirimente, pons insignis a Crucigerorum coenobio ad suburbanas aedes fuit reproductus lateritio opere conspicuus; et mirifice in altum subleva-

(1) Anno 1400. Severinus Ugolini civis noster non sine ingenii laude jus profitebatur (*Marang. loc. cit. lib.* 3.), et in nostrorum vindicem in diuturnis cum Cingulanis contentionibus fuit adscitus cum Jacobo Mazzetto Civitatisnovae, arguentibus Antonio Antonii, et Thoma Pransonio jureconsultis, Bartholomaeo Saliceto (*cons. n.* 115 *ann.* 1407), cardinale Francisco Zabarellio, Petro Ancarano, et Bartholomaeo Stecino (*lib.* 2. *cons.* 174.) adjuvantibus.

(2) Gentilius *ist. settemp.* mss.

tus, ut infra commode fluminis pateret transitus (1).

Interim Innocentius VII. in urbem revocatus, et magna civium gratulatione susceptus, dum addicebat anathemati principes, qui seditiosis faverant; Honuphrii, et Antonii ejus filii, iis conditionibus, quas decessor suus in A. C. diplomate jam descripserat, instaurabat (2) 1406 imperium. Sed vix ferme Honuphrius ea fuit potitus dignitate, excessit e vivis, humanarum rerum vanitatem, et incostantiam suo praepropero decessu civibus ob oculos revocans. Ea vero praeclara et rara laus fuit, humanitate pariter, et pietate excelluisse. At Antonius, qui jamdudum consiliis Ecclesiae alienis regebatur, haud multo post oppidanis maximam cladem, et miseram mortem, ut infra

---

(1) Anno Domini 1404. tempore SS. Dñi
Innocentii papae VII. et mag. Domñi Honufrii
Colae Smedutii pro S. Rom. Ecclesia
vicarii generalis terrae Sanctiseverini
et districtus, hic pons constructus
— Vide Cancellottum loc. cit., et cl. v. equitem Amicum Ricci — *Belle arti tom.* 1. *pag.* 143.

(2) Ex Brevi asserv. in tabul. pub. — Turchius fol. 283.

innuemus, sibi ipse conscivit. Nam (1) cum foe-
A. C. difrago Ladislao rege Neapolis societatem An-
1408 tonius iniit, in eaque permansit, donec Alexander V. pontifex Neapolis regnum Ladislao abrogatum concessit Ludovico Andegavensi, et Urbem ab ejusdem tyrannide vindicatam (2) per Paulum Ursinum redegit in potestatem. Quare cum primum ad Marchiae tumultus compescendos Jacobum ex Rubeis, Episcopum Sarzanensem, ipse legavit, et ingentem suorum
A. C. manum in agrum nostrum Jacobus traduxit
1409 animo quidem infenso; Antonius anno 1409. Pontifici devotionem insimulans in fidem una cum oppido fuit benigne susceptus, et vendita ei munitissima (3) Accolae arx ab Æsinis fuit.

Sed statim Smedutio Joannes Benutini e

---

(1) Ann. 1408. *Coronus Galeatii de Malatestis de Arimino habitator terrae Sanctiseverini .... vendidit Petro Jacobatii Vinimbene de dicta terra .... duas domos .... cum horto, et moricis et cum medietate columnae et ponte .... in quarterio s. Francisci.* — Ex rogitibus Jacobi Philippi 7. Octobris 1408. penes tabularium majoris Ecclesiae nostrae.

(2) Bonifacius in gall. picen. mss.

(3) Cancellottus loc. cit.

Cingulo, *Brachium*, ob insignem, probatamque in armis virtutem, *forte* nuncupatus, Fabricio Signorellio, et Rogerio Perusino auxiliantibus, bellum denuntiavit, ejusque res et ditiones in agro Pyrano omnibus vastandas, et diripiendas permisit (1). Verum ubi persensit Antonius, ratione ab armis quaesita nihil pro- A. C.
ficere, ad Brachium anno 1414 provocavit. 1414
Dum is revera summopere in eam curam incumbebat, ut lis omnis sopiretur; Joannes vehementer a Malatestis afflictus conditiones haud iniquas admisit, et a Pyranorum finibus post quinquennium recessit. Ita Antonius ab oppidanis iterum acceptus non multo post eis exemplo suo luculenter ostendit, quam nihil esset sub se diuturnum, novis emergentibus bellis, ac bellorum causis, quibus et oppidum nostrum miserabiliter fuit attritum.

Dum haec agebantur, Balthassar Cossa, Joannes XXIII. appellatus, Romam profectus Ludovicum Andegavensem in Ladislaum Romanae Ecclesiae hostem rursus jam excitaverat, eique (2) Paulum Ursinum copiarum pon-

(1) Franchius apud Turchium fol. 283. et 184.
(2) Vide Spontanum.

tificiarum ducem, et Franciscum Sfortiam conjunxerat. Praelio commisso, Ladislai exercitum magna strage jam fuderant, victoria tamen non usi, praedae nimium intenti. Quare Ladislaus audacior factus statim in urbem irruperat, fugam continuo arripiente Joanne, qui superatis alpibus Constantiam venerat, daturus initium (1) Concilio, quod antea indixerat. Tum oppidani nostri, anno 1414 ad occasum vergente, fratrem Julianum civem, et inter Dominicianae gentis alumnos jam cooptatum, ad Synodum (2) misere, et universam domum in eorum benevolentiam Patres illi receperunt. Si, amari Rodulphum Varanum magnopere a concilii Patribus, et commoda omnia illius eis magnae curae fuisse existima-
A. C. bit quisque, minime decipietur. Et sane Ju-
1415 lianus sequenti anno in Italiam reversus tradidit Antonio archiepiscopo Ragusino, Bertrando episcopo Sancti Flori, et Joanni Stokes Anglico, qui in Marchiae magistratu erant,

(1) Concilium Constantiae celebrari caeptum ann. 1414. nonis novembris, absolutum fuit ann. 1418. X. Kal. majas.

(2) Ex lib. comm. nostrae ab ann. 1413. ad ann. 1417. fol. 68. a t.

ejusdem Concilii (1) literas, in quibus mandabatur eis, ut Rodulphum suis in juribus confirmarent (2).

Haec inter Joannes pontificatus insignia in concilio deponebat, et Piceni Legatus constituebatur. Gregorius XII. Sigismundi imperatoris suasu summum abdicabat honorem, Benedicto XIII. (3) pariter haud ultro cedente. Ita pace Ecclesiae aliquando reddita, Martinus V. Columna omnium consensu pontifex creatur, et in Italiam protinus transiens habebat in votis, ut Brachium dux Perusinus occupatas Ecclesiae urbes restitueret, et Picentes, qui ferme jugum excusserant, redirent sub jus. A. C.
Sed jam usque ab anno 1416 querimonias fo- 1416
vere, studere ambitioni, postulata tueri Rodulphus, Gentiles, Pandulphus, et Berardus ejus filii caeperunt. Et cum eo auctoritatis ipsi apud Camertes devenissent, ut nihil publicae felicitatis specie non extorquerent, et omnia

(1) Ibidem fol. 95.

(2) Datum Anconae VI. Id. feb. 1416. — apud Lilium p. 2. lib. V., et Turchium f. 277.

(3) Anno 1415. IV. Kal. jun. Vide Raynaldum, et Spontanum ad annum praedictum.

quae vellent facile impetrarent: brevi potuerunt efficere, ut oppidum nostrum quasi perderent, nisi fortis et animosus, vultu semper eodem, sententiarum vim petulantiae, amentiae, clamori Antonius Smedutius objecisset.

Horret, ac refugit animus ea commemorare, quae cives nostri reformidantes viderunt; quorum exempla nulla apud nos praebet antiquitas. Multitudinem hominum ex civili luxuria collectam, divitum fortunis in turbidis, ut fit, temporibus inhiantem, facile Camertum principes pelliciunt, eamque mercede conducunt, ut (1) Carpignani castrum tumultuose circumstent, et quasi subruant; arcem Schiti suo cogant imperio parere; et oppido nostro ferro, ignique minitentur. Adde istuc Ludovicum Melioratum, qui Ecclesiae, pro Marchiae Anconitanae praefectura sibi abrogata, erat infensissimus, quique una cum Varanis, et Brachio cives nostros miserrime jam tenebat obsessos. Adde etiam varias (2) nunc Ugolini Petri, nunc Gentilis Gentilis de Rovellono

(1) Cola Lemmi Procaccii scriptor coaevus in ephem. apud Turchium fol. 276. — Lilius p. 2. lib. 5.

(2) Ex lib. cons. 1416.

conciones: adde furentes effrenis, et commentitiae inter cives ipsos felicitatis praecones, qui de Smedutiorum fortunis penitus abrogandis convenerant, quique jam de immutandis oppidi legibus coram populo disputabant, obstrepebant. O diem illam (1) luctuosam, et sempiterna, si fieri posset, oblivione delendam! qua lymphatae multitudinis armis oppidum, (2) auctore Brachio, appetitum, aedes sanctae Mariae (3) contumeliis oppressa, et cives omnes minis perterrefacti. Hic dies Antonio regnandi finem attulisset; ex eo turbulentus ille hostium conventus supremam sibi auctoritatem vindicasset; ex eo mixta, perturbataque omnia, nisi ab illis vesanae plebis irruptionibus oppidum (4) divinitus, cum Brachio, Berardo, et Ludovico (5) inito foedere, liberaretur (6). Praetereo interim, quae hostium adventum consecuta sunt: tantam enim, ac tam foedam oppidi

(1) 15. Augusti 1416. ex citata ephem.

(2) Procaccius ibidem.

(3) De mercato nuncupata.

(4) Franchius de antiq. Septemp. mss.

(5) Adamius de reb. gest. Firm. lib. 2. — Turchius fol. 276.

(6) Cancellottus in vita s. Severini lib. 4.

contemptionem non recipit dolor, non indignatio sustinet. Quae si commemoranti adeo ingrata sunt, quam experientibus molesta, quam intolerabilia fuisse putemus? Conditiones vero initae pacis fuerant, ut Antonio Schiti et Carpignani propugnacula traderentur, et Gaglioli castrum Camertum dynastis addiceretur (1).

Sed brevi senserunt cives in miserrimam Smedutiorum captivitatem iterum se conjecisse. Dici enim satis non potest, quam sese impudenter Antonius jactitaret, quamque audacissime ob bella perpetua, quae Varanos alio animum
A. C. transferre cogebant, foedus ipsum usque ad an-
1418 num 1418. percussum proscinderet, Gaglioli castrum in eorum fidem ponere detrectans. Quare populum furore correptum, jampridem odio inflammatum, facile intermortuae erga eum amoris reliquiae jam allicere ad commiserationem non possunt. Postulata superbius rejiciuntur;
A. C. rogantur sententiae de Smedutiorum dominatione
1420 abroganda; dum anno 1420. Marchiae Anconitanae legatus cum exercitu (2) in Pyranorum agrum

(1) 1416. die 17. augusti — *Actum in Sacrestia s. Severini juxta flumen Potentiae* — apud Lil. et Turc.

(2) Procaccius loc. cit.

transgreditur, et valida manu Antonio ipsi occurente, ad pugnam ventum est, in qua permulti ex Smedutianis cecidere. Cum vero conjuratorum mucronibus suum peti latus Smedutius conspexit, ingruenti hostium furori se ille quidem propter vitae cupiditatem subducere exoptavit, et in Legati (1) manus concessit, capto Pyro. Dum vero ipse Anconam traducebatur; animo volvebat a suis procul auxilia tutius contrahere, ut, tanto perturbationis aestu defervescente, cives se rursus colligerent, atque ad humaniora consilia pontificis Legatus mentem tandem converteret.

Et huic plenae consilii, sapientiaeque servituti arridere fortuna quidem visa est. Nam Antonius cum Pontificis copias tot potentissimis hostibus impares cerneret, Martinum V. suppliciter venia petita, eodem anno (2) sibi conciliandum statuit, et, missa legatione, magnanimum principem, qui afflictis Italiae rebus non mediocriter dolebat, facile ipse placavit.

---

(1) *Die* 20. *octobris* 1420. *Messus Senensis Legati commissarius obtinuit possessionem castri Pyri pro Martino V.* — Ex Ephem: suprad. apud Turchium.

(2) Die 21. novembris 1420. ex eadem Ephem.

Sed ea apud nos dominatus instauratio nova peperit bella, civibus frustra plorantibus. Nam Antonius, cui fide nihil levius, autumans, Marchiae Legatum non bona fide secum agere, propter eaque Pyrum adhuc retinuisse; compulsus discessit a foedere Ecclesiae, et adjun-
A. C. ctis sibi aliquot popularibus propere eo advo-
1424 lans anno 1424. eorum studio, et viribus (1) oppidum ingressus, quos comprehendere potuit ex hostibus suis, capitis damnavit. Dein omnibus, qui essent pro Ecclesia, severissime interdixit, poena in transgressores constituta, ne militarent Legato, vel suppetias ferrent, exauctorato (2) arcis praefecto, et ex ea in carcerem rapto.

Pax simulata interim confecta est, non diuturnas vires habitura. Nam ubi Martinus V. haec rescivit, Antonium majestatis reum cum
A. C. omnibus suis proscripsit, et mandavit Recto-
1426 ri Marchiae anno 1426. ut eum capere studeret. Quod et factum est.

Petrus enim de Columna a Jacobi Caudo-

(1) Die 13. martii ex loc. cit.

(2) Procaccius ibidem.

lae, et Gentilis Meliorati, Ludovici fratris, copiis adjutus mense Maii oppidum nostrum dirissime obsedit. (1) Territi cives repentino periculo magna contentione jam postulabant, sibi tradi Smedutios, qui insolitis cladibus ipsos emungere non dubitarent. Populum saevientem blandis sermonibus Antonius delinire jam caeperat, et plebs commota usque ad tertium Kalendas Junii nihil ultra attentavit. Porro die altera, populo novos excitante concursus, ultimum supplicii genus pertulisset Smedutius, nisi tantisper restituta esset tranquillitas. Sed diu nihil tamen potuit ipse proficere. Nam muros (2) foederati jam prostraverant, jam summa erat civium in oppido trepidatio, et tanto impetu milites undique eos jam oppugnabant; ut, caesis fugatisque Antonianis, sint ausi murum subire, direptis civibus, et (3) Antonio una cum suis capto, et custodiae mancipato.

Motis inde castris, ab oppido foederati discesserunt, et ad Pitini arcem castrametati

---

(1) Turchius fol. 284.

(2) Adamius de reb. gest. Firm. lib. 2.

(3) Grassius in Diario apud Turchium.

sunt. Et, quamvis aliquot Smedutiorum milites auxilio venissent Apollonio Antonii filio, qui Pitini erat; tamen haud multo post ipsi arce egressi ad foederatorum (1) castra profecti sunt una cum Apollonio, quem in tutum abire vel invitum compulerant, ne a patris hostibus interimeretur. Tum Martinus V., qui cives nostros magnopere optabat tandem aliquando tutissimos esse; tota re diligenter, atque amanter cogitata, suam in fidem (2) oppidum recepit, statuitque, ut nihil eorum, quae ad ejus ditionem tuendam, Smedutiosque a finibus perpetuo repellendos esse usui possent, ab Marchiae Rectore praetermitteretur. Itaque dum Antonius una cum suis nihil praeter suspiria, et gemitus in arce (3) Asculana, et Interamnensi proferebat, per omnia ferme Piceni, Umbriaeque fora, ac regiones miserrime circumductus; et dum Appollonius pontificiam aulam petebat, ut patri, et fratribus suis gratiam apud eam conflaret, eosque saltem ad

(1) Procaccius loc. cit. 11. julii.

(2) Vide Acta foederationis in lib. cons.

(3) Procaccius ibidem de mense aprilis 1427.

libertatem reduceret, uti non frustra (1) eveniebat, dummodo tamen vagi et inopes in solo alieno exularent; idem Pontifex Astorgium de Agnetibus episcopum Anconitanum, et Marchiae Vicarium in oppidum istud jam miserat, ut pro tranquillitate restituenda neque operae ipse parceret neque vigiliis. Jam enim cives hac de re cum mandatis ad Martinum legaverant inter alios Joannem Joannis Servantii consulem, virum tum oratoriis studiis sane frequentem, tum in philosophicis etiam frequentiorem, humanum praeterea et comem, et amplissimis magistratibus laboriosis, atque gravibus continuo distentum (2). A. C. 1427

Dum haec ab Astorgio agebantur, et oppidum plenissimo romani pontificis regebatur imperio; vetus statutum quod scribi fuerat jam caeptum (3) longe ante annum 1307, quodque Bartholus (4) juris consultissimus,

(1) Die 11. octobris 1427. juxta Procaccium.

(2) Ex libro decretorum Sancliseverini ab anno 1426. ad annum 1428 — *Vir nobilis Joannes Joannis consul..à unus ex oratoribus....reversus a SSmo D. nostro* — Die 17. junii 1426.

(3) Ex lib. reform. comm. nostrae ann. 1307.

(4) In cons. 138. lib. 2. — *De decedentibus ab intestato.* —

idemque Baldus auditor, et Gregorii XI. magister (1), in nonnullis jam explanaverant, in saniorem formam redigere cives exoptantes negocium demandarunt (2) eidem Joanni, non secus ac aliis in laboris partem accitis, novas municipales leges jam confectas pro temporum varietate immutandi, quas deinde pontifices (3) confirmarunt, quasque tandem Jacobus Boccauratus evulgandas curavit.

Ast errata principum in maximas populorum calamitates evadunt! Astorgius enim (4) oppidanis, potius quam se tam facilem rebus in cunctis praeberet, ut quae a viro impetrari fas est, ea cives ab illo pontificia comendatione impetrarent; permisit, ipsos bellis civilibus diu vexatos posthac ulterius gravaminibus conflictari. Quod quoniam a ponti-

---

(1) In cons. 46. lib. 3. — *de decedentibus ab intestato, et de muliere dotata.* —

(2) Ex lib. reform. ab ann. 1426. ad ann. 1428. — Die 12. augusti 1426. *Potestas, consul, et priores ..... elegerunt infrascriptos nob. Statutarios .....* in primis D. *Joannes Joannis.*

(3) Martinus V., Eugenius IV., Nicolaus V., Sixtus IV., Innocentius VIII., Julius III., et Clemens VII.

(4) Grassius loc. cit.

ficis dignitate valde erat alienum; nec furori (1) prudentia, nec moderatio cessit audaciae. Atque utinam prisca virtutis exempla populum aut in officio continuissent, aut ad officium revocassent! O inustam patriae, et nunquam eluendam turpitudinis notam! tantos enim Astorgii conatus consecuti sunt aestuantes tumultus, secuti contumeliosi clamores, secutus ille in divi Francisci propugnaculum, ubi A. C. Ecclesiae milites commorabantur, quasi (2) in 1427 hostium urbem infensissimus impetus, Astorgio (3) continuo in fugam compulso.

Haec res tam Pontifici molesta accidit, ut omnem curam adhibendam statuerit, ut cives sceleris poenam luerent. Quamobrem jussit, oppidum interdicto supponi, dejici moenia, nihilque severitatis remitti, quae cum justitia esset conjuncta. Martini V. mandata conficiens Astorgius magnas eduxit copias (4) adversus oppidanos, et expugnato die tertia Martii ex eorum propugnaculis uno, milites armati per

(1) Procaccius loc. cit.
(2) Id. ib. sub die 19. februarii.
(3) Grassius loc. cit.
(4) Id. ib. apud Turchium.

regiones disponuntur. Nonnulli ab oppido ad aream, quae est ante portam divi Francisci, producuntur a carnificibus, et mox prostrati capitibus truncantur. Duravit terror tres dies continuos, donec impunitas edicto proposita fuit omnibus, et Astorgius secum milites in Marchiam reduxit. Quantum crevisset in nonnullis furor tot suppliciorum accessione, dici
A. C. vix queat. Nam ubi ad oppidum (1) ipse rur-
1428 sus accessit anno 1428, eum in Dominicianum coenobium horis nocturnis sunt adorti, et, flamma in illud injecta, eo adduxerunt Astorgium, ut fuga sibi consuluerit. Ea res quum maximam inter cives perturbationem peperisset; inter ipsos perditorum discursus non defuerunt, qui ad sacra (2) animum adjicerent. Et cum nihil boni effici posset ob studia eorum, qui Astorgio favebant; Martinum V. supplicationibus cives tentandum putarunt. Itaque ad inducias venitur, atque inde ad pacem, quae cum excessuum venia anno 1428 firmata

(1) Die 18. junii ex tabul. Dominic. penes Turchium fol. 287.

(2) Ex litteris Eugenii IV. sub dat. 12. Kal. martii 1428.

est, et aucta (1). Simultatibus ita, ac suspicionibus extinctis, et oppido perpetuo foedere Ecclesiae conjuncto, arctissima inter Victorem Rangonium Mutinensem praetorem (2) tunc temporis, et cives ipsos amicitia fuit conflata, publica re in eum locum restituta, quo erat, antequam Smedutiorum ambitione esset turbata (3).

Cum diu cisalpina Gallia bello flagrasset, fuit tandem in pacem redacta. Interim Francisco Sfortia, qui apud Philippum Mediolanensem ducem commorabatur, relatum fuit, Jacobum Caudolam oppida, quae ipse in Apulia possidebat, multis incommodis affecisse. Quod aegre ferens vehementer, venia a Philippo habita, et copiis scriptis, pervenit in Flaminiam. Isapim nondum transiverat, cum ejus adventu Marchia tota commota est. Summi Pontificis vices hoc tempore in Piceno gerebat Joannes Vitellescus Corniculanus. Is civitates

---

(1) Ex Brevi dato ann. 1428.

(2) Ex lib. cons. 1428.

(3) Felix de Felicibus in onomast. rom. sub verbo — *Sanseverino* — Octavianus Gentilius de Rovellono in opere inscripto — *de Patric. lib.* 4. —

omnes perinde tractabat, ut eas in Romana Ecclesia recolenda studii, observantiaeque poeniteret. Quare multi rerum novarum cupidi ad Sfortiam iverunt, hortatique sunt, ut in Picenum advolaret, pollicentes, ipsum rerum brevi potiturum. Id ubi intellexit Philippus, qui romanas res agitare cupiebat; secreto Franciscum admonuit, ut Picenum, quoquo modo posset, occuparet, et Eugenium IV. pontificem, qui Venetus Venetorum partes tuebatur,
A. C. offenderet. Quamobrem, Apuliae rebus compo-
1433 sitis, et novo scripto milite, Æsium (1) pervenit; Æsioque capto, tantus Marchiam terror invasit, ut ad eum urbes legatos miserint, qui deditionem honestis conditionibus facerent.

Hoc rerum felici eventu ductus Franciscus Potentiam accessit; et oppidani nostri, foro (2) nullo militum numero praemunito, ad eum nuncios misere, qui ejus animum explorarent, quique statim reversi, Comitem retulerunt oppidi dominationem exposcere. Quare cum eo pacta, quae in annalibus nostris videri pos-

---

(1) Raynaldus sub n. 26.

(2) Marangonius loc. cit. lib. 3. cap. 10.

sunt, pepigerunt; egeruntque praesertim, ut per ipsum Gaglioli castrum, a Camerini dynastis jamdudum occupatum, sibi restitueretur, et civibus (1) vitae necisque privilegium confirmaretur. Dein Potentiam, et Cluentum transgressus, cunctis artibus Joanne Vitellesco depulso, tam secunda Comes fuit usus fortuna, ut quintodecimo die, quo Picenum adivit, omnia obtinuerit, et suam in ditionem urbes, oppida, vicos, pagos, atque arces redegerit. Suis tum Eugenius viribus diffisus cum Sfortia conciliatus est, eumque Marchionis titulo honestatum in Marchiae (2) principatum admisit, adeo tamen ut omnem curam adhibendam statueret, uti Nicolaus Fortebrachius sui in Ecclesiam sceleris poenas lueret. Comparato igitur ingenti exercitu, per agrum nostrum iter Comes habuit; et ditiones, quas a Pontifice in ducatu spoletano, et divi Petri patrimonio Nicolaus alienaverat, vix ipse tenuit, et vexillifer Ecclesiae creatur; quae dignitas tunc in Italia erat amplissima.

---

(1) Ex libro privilegiorum.

(2) Marangonius loc. cit.

Ita rebus compositis, Franciscus nihil aeque cupivit, quam civium nostrorum benevolentiae, atque amori cumulate respondere. Itaque Alexandrum germanum suum suprema oppidi praefectura (1) jam decoraverat solemni pompa traductum. Ab ulla enim memoria ad celeberrimi spectaculi famam major, atque nobilior mortalium numerus in unum oppidum nunquam confluxerat. Deinde, ut cives bene se posuisse officia cognoscerent; nihil studii praetermiserat, ut Gaglioli castrum sub ditione nostra rediret (2). Iniquo tulit haec animo Smedutius Antonii filius, quem potius inter arma, quam in civilis vitae studiis educatum dixeris. Itaque ad sui principatus ruinam reparandam furibundus (3) die prima junii anni 1434 suis cum factiosis in oppidum pervenit, et eo iterum potiri autumans, sui suaeque gentis noctu propugnaculum constituit aedem Franciscanorum. Cum populus, armis subito correptis, et furore percitus concursum fecisset ad templum; istud a caede, et incendio, ne-

A. C. 1434

(1) Ex libris Communitatis nostrae.

(2) Octavianus Gentilius in dis. mss.

(3) Grassius apud Turchium fol. 285.

quidem ab injuria prohibitum fuit. Et nihil propius factum est, quam ut Smedutium populus vivum in coenobio combureret, nonnullis tamen ex ejus gregalibus capite mulctatis, caeterisque fugatis. Quod studium totius oppidi fuerit hac in re celebranda, supra fidem esse videtur.

Verum immodica illa oppidi laetitia certissimum praesagium fuit impendentium calamitatum. Dici vix queat, quot dolis, quot modo occultis, modo apertis machinationibus (1) Franciscus Sfortia per se, suosque Camertum dynastas, multis nominibus longe celeberri- A. C.
mos, conatus est anno 1436 in suam fidem 1436
adducere. Fuit autem in illis hoc eximiae constantiae, et invicti animi non obscurum argumentum, quod nemo suum visus est locum deserere, licet Comes, et Alexander copias, quas in Marchia coegerant, in oppidum nostrum (2) semel et iterum traduxissent. Et quamvis Franciscus civibus nostris adesset omnibus in rebus, quas dixerat, quasque statue-

(1) Lilius p. 2. lib. 5.

(2) Grassius loc. cit. — Compagnon' reg. pic. — Ex lib. Com. nostrae.

A. C. rat; tamen haud multo post civilibus odiis
1442 ardere rursus oppidum caepit. Nam anno 1442 Eugenius summus pontifex, Alphonsus rex, et Philippus dux Mediolanensis foedus percusserunt in Renatum Neapolitanum regem, et Franciscum Sfortiam; et exercitus ducem elegerunt Nicolaum Piccininum, cui a corporis brevitate nomen, reique militaris virum peritissimum. Is copiis instructus in Ducatum, et in Umbriam profectus est, ubi conjunxit se Aloysio Patriarchae, et Cardinali Legato. Instituit deinde ducere exercitum in Picenum, et primo Camerinum ingenti laetitia ingressus in agrum sancti Genesii excurrit, et, paucis interjectis diebus, Belfortem haud frustra obsidione cinxit.

Continebat se hoc tempore Comes in oppido (1) nostro, et nihilominus incursiones quodammodo impediebat. Tamen Nicolaus decurrit cum suis in agrum Firmanum, Asculanumque. Hoc videns Comes non contemnendum scripsit exercitum in Amandulae agro, et non solum excursionibus, ac levibus certaminibus hostes turbabat, sed et commeatus

(1) Lilius p. 2. lib. 6.

omnino impediebat. Belli tum cognita ratione, Alphonsus, et omnes Ecclesiae urbes inducias cum Francisco pepigerunt, et, pace statim sancita, Nicolaus a Piceno suis cum copiis discessit. Videns Eugenius, se nullo pacto posse suis viribus Picenum recuperare, duxit, ad rem suam vehementer facere, post Renati discessum, Alphonsum Aragoniae regem sibi reconciliare. Interim Franciscus recipiendis amissis oppidis operam dabat, et per fines nostros transgressus fuit cum Petro Brunoro, et Sigismundo Malatesta, qui gener socero in auxilium venerat.

Sed jam omnia Nicolao, et Alphonso feliciter concedebant. Ingenti militum numero invaserant in hostes, manum conseruerant, eorum exercitum fuderant. Itaque paucis diebus bellum atrox, ac periculosum fauste gerens Alphonsus juxta (1) ripam Cluenti fluminis castra posuit. Inde ad laevam ipse flectens nostrum ad oppidum per Collislucis castrum contendit, ut ibi Sfortiae nimis jam incitatam, exultantemque ferociam contunderet. Sed ipse, motis propere castris, Cingulum concessit, et rex

(1) Facius hist. Alphons. Arag. lib. 8.

A. C. diem laetus (1) inter nostrorum legatorum jucundas salutationes confecit anno 1443; voluitque ea de re cum Picentibus per literas gratulari. Vidit tum Comes sua ex sententia discedere omnes, qui erant inter Potentiam, Cluentumque. Sigismundus Malatesta novarum rerum maxime cupidus clam misit ad sanciendum foedus cum rege, ne omnes belli impetus in se converterentur. Venit interim in oppidum nostrum (2) protonotarius Apostolicus, et eodem anno cives in gratiam Pontificis redierunt.

1443

Tum Smedutius Antonii filius, gladio leviter humero percusso, inter nobiliores equestri dignitate jam decoratus, non tam civium securitati, quam famae suae consulens summo agebat studio, ut a Romano Pontifice diceretur vicarius: quo nomine tum honestari mos erat eorum tyrannidem, qui civitates, aliaque loca Ecclesiasticae ditionis occupassent, in iisque do-

---

(1) *Datum ex felicibus castris nostris apud s. Severinum die* 18. *augusti* 1443. — Ex Compagnon. reg. pic. lib. 7.

(2) Procaccius de mense novembris ann. 1443. — Vide Chronic. Ariminen. apud Muratorium vol. 15.

minari instituissent. Quare civibus placuit, ut aliquot ex primoribus legatos ad Eugenium oppidum mitteret, qui cum eo de afflictis rebus tractarent. Sed Honuphrius Smedutius Melphitana infula insignitus, et Pontificis in urbe Vicarius, vir egregiis sane dotibus commemoratus, et in rebus agendis praecipuus, adeo A. C.
gessit, ut Smedutius germanus suus anno 1444 1444
in majorum (1) dignitatem restitueretur. Tum oppidani saniori usi consilio, quibusdam interpositis pactis, in Ecclesiae vicarium eum receperunt multa nobilium frequentia stipatum redeuntem. Et hoc obiter dictum sit propter multorum caeca judicia, qui, rebus ad voluntatem fluentibus, putant, secundum se habere numen, etiamsi studeant turpiter vivere. Statim vero Pontifex Episcopum Honuphrium (2) ad nostros legavit, ut fratrem, et cives in apostolicae sedis fide contineret. Excipitur, pro more temporum, triumphali pompa, summis honoribus, incredibili omnium laetitia; ipse infulatus, et undique protectus, ab aede

(1) Die 9. maii 1444. jux. Procaccium loc. cit.
(2) Id. ib.

principe cum universo sacerdotum ordine in Smedutiorum sedem provehitur. Praecesserant vexilla, cum levis tum gravis armaturae equitum turmis inter se distinctis. Successerat peditatus ad graves tibiarum modulos sub signis introductus. Latus Honufrii a decora juventute non custodiae, sed honoris causa cinctum, vicario, praetore, consulibus, et primoribus civibus splendidissime succedentibus. Donec ipse inter cives fuit commoratus, saepe arcana sensuum mutua et sincera animi liberalitate detegendo, ac odiorum origines ad fatalem vim, et consiliariorum, ducumque insaniam referendo, facile viam invenit, qua pax egregie componi, et tot malis, et funestis incommodis optatus finis imponi posse videretur.

Sed populata, debilitataque Marchiae oppida haud multo post pressit Franciscus. Nam iter postquam Alphonsus rex Asculum versus habuerat, et, triduo consumpto, obsederat urbem, ratus fore, ut cives arma caperent adversus Sfortianos, sed frustra; Truentum ipse transgressus per sua oppida exercitum in hyberna dimiserat. Ipse vero pontificis dux, amissis non unis praesidiis, illos sibi vicinos, finitimosque, acerbum sane, dolendum-

que spectaculum, contuebatur. Haec pericula dum Romanae sedis Legatum suspensum habebant; tamen copiarum numero fretus signa conferenda apud Montem Ulmum jam senserat. Interea Comes quadripartito agmine appropinquabat. Quare, collatis signis, diu certato vario marte milites hinc inde pugnarunt; donec Sfortianorum victoria fuit, et oppida passim Comiti sese dediderunt. Cives tum nostri Pontifici, Smedutioque dicati haud potuerunt rursus anno 1444 ab imminenti inimicarum perpetuo gentium ferro se eripere (1).

Post tam insignem victoriam sciens Sfortia, in eodem statu raro permanere fortunam; ad pacem petendam Galeottum neapolitanum oratorem ad Eugenium destinat, qui certiorem Comitem fecit de inito foedere suasionibus Venetorum, Florentinorum, et Philippi ducis. Ea tum civium nostrorum fuit conditio, ut Sfortiani milites oppidum retinerent, donec Comes anno 1444 ad moenia nostra (2) declinavit, et Alexandrum germanum suum eorum caput ite-

(1) Die 24. augusti juxta eumdem.

(2) De mense novembris — Vide Cancellottum *in ist. Settemp. mss.* et Marangonium lib. 3.

rum jussit, omnibus sacramento adactis, et foedere jam percusso (1) humaniter confirmato. Et, ut armis oppidum vendicare ab hujusmodi imperio equès Smedutius haud tentasset, nec illius recipiendi spes ulla daretur; conventionibus res acta fuit, deprecante Episcopo Melphitano, ut, quoad viveret, dominium arcis Ficani esset penes Smedutium; et Nicolaus Lemmii Procaccii in Galeotti de Agnetibus, Comitis oratoris, ditionem Gaglioli castrum (2) concederet; quod vero Camertum dynastis ab Alexandro traditum fuit: nam ipse uxorem ceperat Constantiam filiam Petri-Gentilis Varani (3).

Haud multo post Sigismundus e Malatestis Ariminensis a Comite se alienavit, conductus ab Eugenio, qui una cum Alphonso rege, et Philippo duce adversus Franciscum com-
A. C. muni consilio bellum gerere statuerat. Et quo-
1445 niam erat rumor, eos ex Flaminia in Picenum

(1) Cancellottus loc. cit.

(2) Die nona decembris 1444. juxta Nicolaum Lemmii Procaccii, qui die 1. augusti ann. 1446. Potestas in urbe Castri fuit conclamatus.

(3) Lilius p. 2. lib. 6.

profecturos; Comes bellum Sigismundo indixit, et excurrit in agrum Ariminensem, dum suos duces ad Amiternum amnem regias copias fudisse accipiebat. Interea eques Smedutius videns, Joannem Vintimilii comitem cum magno exercitu Firmum appropinquare, omniaque inter Asculum, et Firmum oppida jam defecisse ad Ecclesiam; et eodem temporis intervallo prospiciens Eques, Talianum a nemine impeditum Fanum progressum se aliis Ducibus conjunxisse, et in Picenum venientem nonnulla oppida deditione cepisse: quamplures pedites inter nos conscribebat, et ad se cives traducere nitebatur, non dubitans, quin, Frontalis, et Ilciti castris vi jam occupatis (1) alisque, reliqua omnia faciliorem essent expeditionem habitura. Sed oppidani totius picentinae regionis exemplum secuti in libertatem redire exoptabant, et tanto impetu in Michaelem Pedemontanum Sfortianorum militum (2) ducem anno 1445 irrumpebant, ut, multis ex hostibus peremptis, reliquos in fugam Galas-

(1) Die 14. septembris 1445.

(2) Die 22. septembris juxta Grassium loc. cit.

sus Brunus, et Bartholomaeus Tardolus conjicerent, tormentis omnibus, omnique commeatu interceptis.

Dum vero in Cluentum Franciscus perveniebat, et omnes aditus clausos, neque auxilia sibi a Venetis, et Florentinis mitti posse siquidem videbat, Cives nostri eum summopere turbarunt. Nam vix Antonius Patavinus (1) quem Franciscus praemiserat, ad moenia nostra deflexit; oppidani, oblata rei bene gerendae occasione, ei indicarunt, se jam in hostes irruere. Quare acris in eum fit impressio, et occisorum et sauciorum multus fuit numerus. Illud tamen magis movebat Franciscum, quod, non victus a regis, Pontificis, et ducis exercitu, vinceretur instabilitate suorum. His curis anxius statuit, hostibus, et fortunae cedere putans, nonnullis urbibus servatis, Picenum totum sequenti aestate recipere. Sed ubi in Malatestas ipse vertit bellum, statim oppida omnia Sfortianis militibus vacua sponte se Ecclesiae dediderunt, et cives nostri (2) missis ad Ludo-

(1) Simonetta lib. 8.

(2) Die 15. novembris 1445. ex lib. cons.

vicum cardinalem aquilejensem, qui Tolentini morabatur, oratoribus; Ecclesiae voluntati se permiserunt conditionibus sane perutilibus (1).

Verum, antequam isthaec transigerentur, Joannes Vitelleseus patriarcha Alexandrinus, qui variis cum millibus equitum peditumque in oppidum nostrum (2) castra posuerat, ad Smedutium edomandum, qui tunc in Aliphurni propugnaculo nidum habebat, omnibus fere suis cum copiis (3) contenderat. Haec inter Comes ab ineunte aetate bello, exercitibusque A. C. ductandis assuetus, homo efferus per aliam 1446 super aliam coacervatam caedem ad tyrannidem evectus, e Picentum finibus fuit expulsus, pace Ecclesiae restituta. Adhuc tamen comitatum nostrum, et praecipue Serraltae castrum suis cum excursionibus Smedutius adeo habebat infestum, ut nulla ratione diutius tolerari posset. Quare ludibria multitudinis ferre, aequata solo majorum monumenta (4) intueri coactus ipse fuit,

(1) In statuto fol. 197. legitur — *Permittat manere... in ejus libertate.* —

(2) Grassius loc. cit.

(3) Die 1. novembris 1445. juxta eumdem.

(4) Ex libris cons. civitatis nostrae.

ut ex eo tanto populi contemptu atque odio praesentiret, quam sibi, suisque aerumnosa dies immineret, crudelique futurorum malorum imagine in antecessum laceraretur. Nam vix cives ad pontificem missi non obscuris indiciis cognoverant, rebus in nostris se haud difficilem praebere, imo oppidi ditionem mirifice exampIificare cum castri Ficani, Civitellae, ac Montis acuti jurium accessione (1): ut citra ullam tergiversationem Smedutium Ecclesiae copiarum dux ad deditionem compelleret,
A. C. 1447 Eugenius ipse mandavit, atque eum (2) in arce Hadriani detineret, in pontificis arbitrio custodiae vel breviandae vel prorogandae facultate constituta. Tulit principio graviter captivitatem Smedutius, sed, cum suis ipsius facinoribus revinceretur, eam fortunam caepit ferre moderatius.

Varii ac difficiles tot bellorum casus, quos oppidum nostrum per plures annos fuit perpessum, commoverunt sane Nicolaum V. Eugenio sublectum (3). Audierat ipse, jacturam

---

(1) Turchius fol. 38.

(2) Die 1. januarii 1447. juxta Grassium loc. cit.

(3) Vide statutum nostrum sub pag. 156.

non negligendam cives in Gaglioli castri juribus accepisse. Eam ob rem Marchiae anconitanae Rectori mandaverat, ut modis omnibus properaret (1) auxilium ferre afflictis oppidi rebus. Sed videre licuit, quanto in id Elisabeth Varani esset fortuna major, et excelsior. Certarat ipsa pro majorum imperio, deserta a sociis, ab omnibus oppugnata; in qua contentione omnes omnium vires (2) praeclare contuderat. Et cum aliquando, nutante partium fortuna, in dubia victoriae spe versaretur; honestas pacis conditiones semper elato, constantique judicio repudiarat; ne, quod virtute, atque una animi magnitudine erat factura, veluti ignobili metu subacta, et praesenti impulsa necessitate fecisse videretur.

Nicolaus inde in Picenum profectus pene cunctas urbes obivit, ut et belli reliquias persequeretur, et provinciam optimis legibus stabiliret. Tum sua et in oppidum nostrum studia A. C. rursus voluit ostendere. Quare anno 1449 apud 1449 nostros (3) declinavit, et Canonicorum hospitio

(1) Ex lib. cons.
(2) Lilius p. 2. lib. 6.
(3) Die 21. julii. — Procac. loc. cit.

fuit usus, magnifice exceptus. Praenunciatum interim ab se excidium imperii Graecorum, captamque a Turcis Constantinopolim eo tulit gravius, quo magis laboravit, ut christianorum principum ope tanta clades averteretur. In calamitate tam exitiosa, quod unum praestare potuit, libros ex tota Graecia (1) perquisitos ad se jussit afferri, et profugas, extorresque musas amice, et liberaliter fovit. Sed jam apud nostros florebat Ludovicus Lazzarellus, vir bonis artibus, litterisque eruditus, atque in studiis sacris, ac mitioribus, praesertimque poetices apprime versatus. (2).

In locum Callisti III. Æneas Silvius Piccolomineus assumitur, qui Pius II. appellari voluit, quique, pacata tandem Italia, in Mantuano concilio sacrum bellum indixit. Dum vero Anconam ipse petebat, et non alia res magis ani-
A. C. mos hominum movebat, quam fama Pontificis
1464 adversus Turcas ituri; anno 1464 ad moenia nostra (3) substitit aliquandiu; et cives ad hoc

(1) Æneas Silvius de statu Europae vol. 2.

(2) Turchius fol. 297.

(3) Die 12. julii juxta Procaccium et Cancellottum loc. cit.

bellum contulerant quamplura, cum publicae saluti deesse noluissent. Sed dum Pius Anconae per autumnum sociorum copias expectabat, decessit; et Paulus II. deinceps, mox Sixtus IV. pontifices sacro bello Hungariae, et Neapolis reges praeponentes, Venetorum classe, auxiliisque subnixi, magnas Turcis clades intulerunt: donec Mahometes, Hydrunte improviso impetu capta, Italiam terrore complevit. Quare omnium curae a domesticis bellis in communem hostem sunt versae, et in maritimis contra Turcas, Mauros, et Piratas bellis quamplures cives nostri extitere (1) clarissimi. Verum ubi subita Mahometis mors Italiae principes metu solvit; Hydrus fuit recepta ab A. C.
Alphonso illo Calabriae duce, qui anno 1474 1474
apud nostros splendidissime declinavit (2).

Innocentio VIII. rebus humanis exempto aeque ac Laurentio Mediceo italicae pacis per-

---

(1) Gesta clarorum civium nonnullis abhinc annis diligentissime scripsit Germanus Margarutius, et per manus, perque ora civium ejus cum laude volitant. Haec si ediderit, non modo meo, verum etiam civium omnium nomine immortales ei gratias habebo.

(2) Hieronymus Talpa *ist. mss. settemp. lib.* 8. apud Josephum Raynaldium.

petuo custode; Alexander VI. ad summum sacerdotium deligitur, qui totum terrarum (1) orbem ex aequo bifariam secuit. Magnus subinde motus Italiam agitavit. Ludovicus enim Sfortia Mediolanensium dux Carolum VIII. Franciae regem ad Neapolitani regni velut haereditariam ditionem vocavit. Dum igitur ingentibus copiis modo Hispani, modo Galli in Italiam transgrediebantur, ut jura sibi vindicarent; Alexauder inopinatis casibus non defu-
A. C. erat, et magnas conscripserat acies, quae an-
1499 no 1499, duce Hercule Bentivolo, in oppido nostro hyemarunt (2).

Sed jam in Ecclesiae dominatu turbabantur omnia, gravissimi belli materiem ciente Caesare Borgia duce Valentino. Ipse Francicis auxiliis fultus Æmiliam omnem, praeter Bononiam, Flaminiamque in suam ditionem rede-
A. C. gerat. Vidonem Ubaldum quoque, Urbini
1502 ducem, principatu exuerat, et Camerino, (3) sublatis Varanis, potiebatur. Strage Varanorum principum Camertes commoti, Joannem

(1) Bellarminus de rom. pont. lib. 5.
(2) Ex lib. cons.
(3) Die 9. octobris juxta Turchium.

Mariam e Venetorum finibus accersiverunt. Non defuit ipse civium votis. Fit magna passim hominum caedes, omnia fumo, flammisque (1) collucent. Ad Valentinum ea rabies ubi fuit progressa; cum exercitu in Camertes movit ulturus injuriam, quam a Joanne Maria ipse acceperat. Sed ducis potentiam summopere hic veritus, ex turpi fuga sempiternam secum ignominiam reportavit, atque ita suis e finibus discessit, ut identidem respectaret, an Valentinus (2) a tergo sequeretur. In eo autem praepopero itinere, si non militibus, commeatu equidem vacuo, cives nostros sensit infestos. Ipse una cum Ranutio de Mathilica in moenia ista vi progressus suorum caedem conspexit (3): nam ex quo armorum strepitus in cives ingruebat, vastitas prope erat inducta, caesis arboribus, afflictis Orpiani, et Seripolae pagis, comprehensis, mulctatisque colonis (4).

Antequam vero isthaec transigerentur,

(1) Lilius p. 2. lib. 8.

(2) De mense novembris 1502. jux. Turchium.

(3) Die 19. novembris 1502. ex Bruniana ephem. mss. et ex lib. reform. Vide Turchium fol. 500.

(4) Brunius in ephem. cit., et Lilius p. 2. lib. 8.

modis omnibus sibi oppugnandum Gaglioli castrum cives nostri statuerant. Atque hac in re Jareconi Grassio consuli fortuna arriserat, ita ut brevi spatio (1) illud suo imperio rursus adjecerit. Sed statim Ecclesiae milites totis viribus id adorti, nostros in fugam compulerunt, et omnem castri ditionem Camertibus denuo subjugarunt. Et quamvis ob eam rem suos ad Alexandrum oratores oppidani nostri misissent; tamen eorum votis, quod cum duce Valentino imperium pactus esset, satisfacere minime potuit. Legatos vero humaniter a se dimisit, exorante Nicolao Bonafede familiari suo, viro et virtute praedito, et oppido in primis grato probatoque (2).

Alexandro VI. Pius III. brevissimus pontifex, Pio Julius II. sublectus est, qui Borgiam omni ditione, ac dignitate spoliatum dimisit; ut, qui aut nihil, aut Caesar esse concupierat, quoniam Caesar esse non poterat, nihil esset. Dum metu magis, quam vi Balliones Perusia,
A. C. Bentivolos Bononia ipse expellebat, Gallorum
1507 viribus adjutus; anno 1507 magna damna vi-

(1) Ex lib. cons.

(2) Lilius loc. cit.

netis, et frugibus intulit apud nos siccitas ab ipsius anni primordiis usque ad mensem septembris deducta. Dum vero Ludovicus XII. Galliae rex agebat cum Maximiliano imperatore de convocatione concilii, anno 1511; Italiam adeo inusitatus concussit terraemotus, ut multi mortales terrae quassatione, et ruinis (1) oppressi sint. Oppidum nostrum damnum sensit incomparabile: nam incolae, castrensi more, in tabernaculis sibi degendum extra moenia statuerant, quamquam nec ibi sine metu essent, veriti, ne repentino aliquo terrae hiatu absorberentur. Promotus inde in Julii sedem Joannes Mediceus, patre natus Laurentio, tota Italia celeberrimo, et Leo X. dictus, cum Franco illico de pace transegit, fovens studia bonarum artium; literarum, literatorumque fautor eximius paterno instituto. Sed in eum otii perpetuum custodem vix Franciscus Maria Urbinatium dux debacchari incaepit; per oppidum nostrum concursum fuit signis infestis. Et cum ab ipso non posset certa concordiae via aperiri, multa sibi voluit permitti; donec vali-

A. C. 1511

(1) Vide eumdem Lilium.

dis instructus copiis Marius Ursinus in moenia ista penetravit (1).

Hoc tempore nunciatum fuit nostris, Catharinam Cibo uxorem Joannis Mariae Varani
A. C. in Camertum urbem contendere. Ei Pontificis
1520 nepti a civibus missi sunt legati quatuor (2) cum splendido, pro more temporum, comitatu, qui eam haud contemnenda florenorum vi honoris causa donarent. Sed brevi otium inde
A. C. partum tristis ex vulgari lue moeror excepit.
1523 Nam anno 1523 ipsa damnum oppidanis dedit longe gravissimum. Ruebat omnis aetas pariter, et sexus: funus juncto funere premebatur. Quin ista tanti mali pervicax clades, uti solet in extremis, oculos siccabat: ipso in luctu luctus exoriebatur novus, et circa funus suae cadebant exequiae. Nullus erat miseris pudor: ossa non tegebant tumuli: undique eadem numinis ira, undique mortis versabatur imago.

Universis interim Ecclesiae rebus procurandis eligebatur Julius Mediceus, Leonis X.

(1) Ex lib. cons. ann. 1520.

(2) Ex lib. cons. sub eodem anno.

patruelis, archiepiscopus Florentinus, et Clemens VII. appellabatur. Etsi oppidum nostrum non dubitaret, quin ea diligenter intellexisset Pontifex, quae inter nos miserrime acciderant: tamen illa, si etiam ab Antonio Jacobo Franchio, et Hieronymo Boccaurato internuntiis ad eum perferrentur, multo illi jucundiora putavit fore. Quare anno 1524 de regno ac majestate ista, qua nulla unquam major inter homines extitit, Clementi ex animo, atque verissime primum oratores ipsi sunt gratulati. Dein totum illud, quod de eo sperabant, pro illius magnitudine, expostularunt; nec frustra. Immunitates enim, antelationes, dignitates, statuta ipsa omnia, commodaque ad eos deferri voluit, uti in more jam positum erat. Neque ea civibus obesse jussit, quae nummariis in edictis, nuper propositis, continebantur: nam praecepit, ut nostris aes flare, ferire, et parvulos nummos cudere liceret (1). A. C. 1524

Sequuta Caroli Borbonii defectione ab Gallis, verebatur Clemens potentiam Caroli V. regis Hispaniae, et Romanorum. Quare pro

(1) Ex litteris apostolicis 3. martii 1524.

tuenda Italiae libertate foedus iniit cum regibus Galliae, et Angliae, Venetis, et Francisco Sfortia Mediolanensium duce. Dum igitur Carolus hac societate offensus bellum indicebat Pontifici, et Borbonius in Italiam missus urbem, spreta induciarum fide, obsidebat, captamque militibus, lutheranis plerisque, foede
A. C. 1527 diripiendam linquebat; eodem anno 1527 innumera ingentium locustarum turba cives aeque ac Italiam citeriorem, et in Germania Silesiam, Misniamque clade afficiebat multa. Habebant digiti longitudinem, turgida capita, ventres obesos, et sanie refertos. Extinctae intolerabili foetore aerem corrumpebant, ut etiam cornices, accipitres, aliaeque aves, cadaveribus alioqui inhiantes, ferre nequiverint. Dici tamen non potest, quantum damni dederint rebus humi nascentibus, vastantes, et depascentes omnia ad radices usque (1).

Caeterum post menses septem Clemens sibi timens ab astu Hispanorum; arce Hadriani egressus confugerat Urbem veterem, pestilentia in urbe relicta. Fames ingens premebat

(1) Ex commentario Laurentii Surii.

Italiam, praesertim Insubres et Venetos, Umbros et Picentes, ita ut multi etiam ex nostris interierint. Sed redintegrata cum Carolo amicitia, imperii coronam ei Bononiae solemni ritu Pontifex imponebat. At Clemens, ob Rhegium Lepidi Ferrariensi Duci ab imperatore deinceps adjudicatum, se ab ejus amicitia denuo avertit, et, foedere cum rege Francorum inito, Catharinam Florentini Ducis sororem germanam Henrico Francisci regis filio collocavit.

Ubi tot, tantisque negociis conflictatus Clemens mortem obiit, et Paulus III. fuit in ejus locum suffectus, concilium oecumenicum indixit. Ast eo Mantuae vix inito, Pontifex, ut discordias sedaret inter nobiles, ac plebejos in oppido nostro iterum gliscentes, mandavit Marchiae anconitanae Rectori, ut imperio cives subigeret. Immoderata enim affecti cupiditate ex procerum cladibus ditiones suas summa cum invidia oppidani nonnulli protulerant; et tandem eo res fuerat inde perducta, ut populus non dubitasset Rectorem ipsum loco movere. Et tumultus hujus occasione propemodum ad arma ventum esset, ni se sequestrum interposuisset Jacobus Talpa vir magnae dexteritatis; cujus industria in Pontificis aula

effectum est, ut cives summi Antistitis sententiam expectarent (1).

Mox, ut celebrari commodius concilium posset, Niceae Pedemontii urbe cum Carolo V. et Francisco I. Gallorum rege Pontifex congressus, decennales inducias firmavit inter eos. Dum vero inter acclamationes longo Italiae tractu ipse procedebat, viis spectantium multitudine refertis, sic ut pompa omnis sine tumultu omnium oculis ad incredibilem voluptatem ostentata quietissime spectaretur; aliquandiu
A. C. ab illo tanto peregrinationis pondere apud
1543 nostros conquievit anno 1543. Aderant permulti illustres, nobiles, opulenti clarorum principum progenie editi, et miro pompae ordine tum Cardinalium, tum procerum pontificiae aulae familia. Et, ut cives spe ejus adventus ab omni tristitia ad veterem splendorem revocari viderentur; Joannes Margarutius consul omnia, ut decebat in tanta hilaritate, sumptu, supra quam credibile videatur, exornavit (2).

(1) Ex lib. cons. et divers. Brev.

(2) Ex lib. cons. fol. 197. et 200.

Sed jam Margarita Caesaris filia, uxor olim Alexandri Florentini Ducis per insidias a Laurentio cognato suo interfecti, Octavio Farnesio pontificis nepoti matrimonio fuerat juncta, et Octavius Dux Camerini creatus, Varanorum stirpe sublata. Quare dum, pro istis summi Antistitis in Camertum urbem voluntatis indiciis, non modo referre, sed ne agere quidem pro dignitate gratias suae esse opis cognoscebat quisque: Petrus Aloysius Farnesius, qui ad filii res conficiendas (1) se apud Camertes contulerat, nostrorum legationem solemnem (2) testandae erga eum observantiae suscepit. Tot vero, tamque illustria amoris documenta Margarita ipsa, dum iter (3) ad Lucenses instituebat, nostris civibus dedit, ut in plurimos annos desiderium reliquerit sui. (4)

At induciarum tempore nondum circum-
acto, turbatus est Ecclesiae status ex nece Pe- A. C.
tri Aloysii, cui Paulus anno 1545. Parmam, 1545

(1) Lilius lib. 10.
(2) Ex lib. cons. fol. 48.
(3) Lilius loc. cit.
(4) Ex lib. cons. pag. 120.

et Placentiam adtribuerat (1) beneficiario jure, in earum locum, permutationis titulo, Camertum principatu, ac Nepote dominio acceptis. Farnesio ita interfecto, Carolus V. contendebat, urbes illas pertinere ad Mediolanensem ditionem. Quare simultas inter Pontificem, et Caesarem fuit orta, et Placentia inter tumultum ab imperialibus occupata. Et si nuncium Paulo ex moerore attulit mortem; cives nostri summopere jam erant veriti, ne quid durius Venetorum auxilio fultus Pontifex statuisset in Vidonem Ubaldum Urbinatium ducem, et Herculem Varanum ob eorum de concordia ineunda contumaciam. Nam licet id ad certissimam utriusque perniciem spectare videretur; oppidani tamen sic erant animati, ut quamcumque patriae calamitatem perpeti mallent, quam ab Ecclesiae fide discedere.

Cum duos amplius menses diversis sen-
A. C. tentiis certatum esset; contra spem omnium
1550 anno 1550. Pontifex declaratus est Joannes
Maria de Monte Aretinus, qui Julius III. vo-

(1) Ex Diario Angeli Massarelli episcopi Thelesini sub die 8. septembris 1545. penes Lilium.

luit nominari. Pius IV. dein supremum gessit pontificatum: is anno 1560 oppidi nostri procurationem (1) adtribuit Cardinali Simonetta, qui plebis sapiens censor, et nobilium prudens emendator habitus fuit. Haec inter cives novo, ac perinsigni honore e Sixti V. auctoritate cumulati fuerunt. Pristino enim civitatis jure anno 1586 eos donavit; quod quidem faustum, felix, fortunatumque fuit. Quaenam vero civium praestantia tum fuerit, ut eos Pontifex dignos judicaret tam singulari gratia rursus honestare; nosse etiam datur ex ipso creationis (2) diplomate, quod publici juris fecit Ughellius. Atque utinam Pontifici tanto aeneam statuam in foro potuissent nostri, et sub ea, monumento ut esset rerum gestarum, tabulam fixissent!

A. C. 1560

A. C. 1586

Subrogatus est Sixto Urbanus VII. non magis brevitate pontificatus, quam cunctorum desiderio memorandus. Secutus fuit Gregorius XIV., qui prope annum gessit imperium: quod duo maxima mala, fames, ac

(1) Ex lib. cons. fol. 87.
(2) Ital sacr.

lues, satis insigne fecerunt. Constat, in Italia tertiam mortalium partem, qua fame, qua lue interiisse; et nunquam forsan tot calamitatibus civitas nostra fuit involuta, quot passa est, eodem pontifice imperante. Nam summa rei

A. C. frumentariae inopia, pestis exitiosissima, qua-
1590 lis nulla unquam extiterat, annis 1590, et 1591
1591 civium stragem fecerunt incredibilem, nulla neque vi, neque arte, earum saevitie retardata. Quamquam vero his de causis suam in omnes benignitatem Clemens VIII. pontifex, antiqua pietate, insignis ostenderet; omnia tamen nostrarum gentium negotia praecipua voluit caritate complecti. Artibus enim omnibus jam-

A. C. dudum studuerant Marchiae Legati, et prae-
1596 sertim anno 1596, ut acta, quae apud nostros in criminibus versabantur, non sine magna antiquorum jurium perturbatione in generali curia cognoscerentur. Sed, ut comiter et sedate ipsi se gererent, mandavit Clemens.

A. C. Imo nihil civibus derogatum voluit, et anno
1604 1604 praefectum nostrum jussit cardinalem Silvestrum Aldobrandinum nepotem suum (1), quacumque Legati jurisdictione abrogata. Quam

(1) Gentilius *antic. settemp.*

quidem optimae erga cives voluntatis significationem non conjectura aliqua assecuti sunt majores nostri, sed ipsi in Paulo V. perspexere, atque oculis sunt contemplati anno A. C. 1607, quo ad controversias omnes dirimendas curam Pontifex suscepit, ut in posterum Praefectus inter Praelatos utriusque signaturae assumeretur, quorum primus fuit Joannes Antonius Maximus Romanus (1). 1607

— (1) Series Gubernatorum civitatis nostrae ex mss. diligentissimi civis Bernardini Crivelli excerpta, et ad nostra usque tempora producta a Comite Severino Servantio Collio patriae rerum collectore solertissimo. — Cardinalis Simonetta — Cardinalis Aldobrandini — Joannes Antonius Massimi Romanus — Laurentius Martani Laudensis — Petrus Valeri Venetus — Guilielmus Brondonosset Gallus — Franciscus Trotti Ferrariensis — Laurentius Campeggi Bononiensis — Alphonsus Petrucci Senensis — Antonius Ubertini Florentinus — Laelius Falconieri Romanus — Jacobus Teodoli Romanus — Franciscus Vitelli de Tipherno — Gaspar Mattei Romanus — Franciscus Cavallo Mediolanensis — Robertus Cennini Senensis — Claudius Castelli Interamnensis — Alexander Rangoni Mutinensis — Franciscus Maria Montevecchi Fanensis — Æneas Vaini Imolensis — Marcellus Stella Venetus — Vincentius Cavalli Bergomensis — Philippus Cansacchi Amerinus — Camillus Pozzobonelli Mediolanensis — Joannes Josephus Baviera Senogalliensis — Didacus Sersale Neapolitanus — Ascanius Maffei Romanus — Joannes Delfini

Post haec tempora aut nulla, aut si qua usquam res fuit excitata, ea neque magna, neque tam diuturna, ut perturbare cives posset, dignaque esset, quae posterorum memo-

---

Venetus — Joannes Ciamboli Florentinus — Guilielmus Gaddi Foroliviensis — Alphonsus Pallettonio Spoletinus — Carolus Nembrini Anconitanus — Carolus Truches Alemannus — Dominicus Blanditi Neapolitanus — Ludovicus Betti Florentinus. — Joannes Lucidus Palombara Romanus — Pompejus Giustiniani Romanus — Franciscus Erasmi Romanus — Opitius Pallavicini Januensis — Franciscus Spinola Januensis — Caesar Maculani — Hieronimus Castramediani Neapolitanus — Franciscus Caraffa Neapolitanus — Jacobus Zandemaria Parmensis — Nicolaus Grimaldi Januensis — Ioseph Salustius Fadulfi Interamnensis — Lucas Antonius Eustacchi Romanus — Philippus Antonius Gualterius Urbevetanus — Joannes Baptista Lauri Signias — Joannes Franciscus Rota Cremonensis — Bonamense Agostini de Forolivio — Carolus Tornaquincius Belloni Venetus — Joseph Cianti Romanus — Dominicus Folgori Neapolitanus — Jacobus Philippus Cini de Pergula — Hieronimus Mattei Romanus — Joannes Franciscus Leonini Tiburtinus — Petrus Corbelli Fanensis — Hiacintus Pilastri de Caesena — Flavius Ravizza Urbevetanus — Alexander Rigoni Mantuanus — Marcellus Cremona Valdina Romanus — Vincentius Vecchiarelli Romanus — Joannes Conradus Orsini Romanus — Hercules de Aragonia Neapolitanus — Hercules Marliani Mediolanensis — Franciscus Riccardus Ferniani Faventinus — Franciscus Hadrianus Cevas Romanus — Raphael Fabretti Urbinas — Carolus Gonzaga

riae commendaretur. Imo in Urbe securitas, imo summa tranquillitas orta, et seditiosorum hominum ingenia popularibus concionibus haud amplius acuit ambitio. Non artes liberales, non optima studia, quae nusquam magis quam in Italia honor aluerat, atque auxerat, fatale bellum afflixit, nec illam exteris nationibus diripiendam, ac devastandam reliquit. Romanos Pontifices verae laudis cupiditas impulit ardentius, ne misera rursus eisdem malis tentaretur Italia, veteresque calamitates nescio quis genius in bonas artes inveheret. Collegerunt ipsi, quae alii dissipaverant, et restituerunt nobis illa, quae vel hominum improbitas, vel fortunae vis eripuerat. Et haec, ut caetera sileam, Pius VI. magna ex parte

---

Mantuanus — Robertus de Genga Picenus — Hippolytus Franciscus Rasponi Ravennas — Joannes Vitellius Vitelleschi Fulginas — Conceptus Vinci Firmanus — Joannes Baptista Stella Bononiensis — Joannes Ludovicus Carrandini Mutinensis — Joannes Baptista de Pretis Urbinas — Mutius Gallus Auximanus — Prosper Franceschi Pisanus — Felix Faustinus Savorniani Venetus — Carolus Bellisomi Papiensis — Hieronymus della Porta Eugubinus — Barnabas Relli Camers — Hinnicus Didacus Caraccioli Neapolitanus — Alexander Macedonio Neapolitanus — Augustinus Rivarola Januensis — Joseph Negroni Romanus.

praestitit Joanni Baptistae Collio, viro et genere claro, et in rebus agendis eximio; dum anno 1795 aeris publici inter nos feriundi ei potestatem fecit (1) in tempus, extendendam, et prorogandam, quoad sibi liberet, multorum fortunis adjutis, artibusque (2) excitatis. Sed iniquo Italiae fato mox accidit, ut cives otii tempus importuna Gallorum domiminatione ereptum amiserint, Destituti pacis

(1) Ex rogitibus Aloysii Salvatori R. C. A. secretarii sub die 14. decembris 1795.

(2) Joannes Baptista Collius patricia nobilitate ordinis primi Septempedae natus parentes habuit Josephum Collium, et Cinthiam Lutiam foeminam clarissimam. In studiis a pueritia domi vixit, dein Firmum in ephebeo martiali transiit, ut animum ad Philosophicas, et legales disciplinas adjungeret. Ritu solemni laurea, caeterisque doctrinae insignibus decoratus Romam secessit, Ejus virtutem Eschin, tunc temporis legum, et causarum agendarum peritissimus, admiratus est, et illum sibi adjutorem esse voluit. Domum reversus pluries praefecturam gessit urbanam. A Picentibus ad aerarii quaestorem Giannet, Romam legatus enituit gravitate, et solertia. Dictus fuit eques militiae Etruscae Stephanianae: ad cives honestandos studium intensissimum attulit, aedem miro sumptu extruxit, rus suburbanum amoenissime p suit. Decessit placidissimo exitu VII. idus aprilis anni 1830. illustribus impensae religionis, et liberalitatis in pauperes, puellasque monumentis omni vita, et post mortem testamento relictis.

praesidio, fracti animo ac debilitati, quam difficili in loco tum versarentur, ingratum quidem esset referre. Obfirmato itaque ore tantum optabo, ut quae alii fusius collegerunt, omnes statim edant, et mihi hanc laudem praeripiant. Modo in civitate jus dicit is, quem Gubernatorem districtualem appellant. Sunt et magistratus urbani, qui rem publicam gerunt: quique primum inter eos dignitatis locum habet, Vexillifer nuncupatur.

Cum patriae desiderio omnes, natura duce, teneamur; hinc ortus nostri partem majorem sibi cives vindicare intelleximus. Id sapienter ad Archytam olim scribebat philosophorum sapientissimus Plato; idque Themistocles sibi gerendum putabat, dum ab Artaxerxe in Athenienses arma capere cogebatur. Diuturna et nos de Septempedanorum rebus cupiditate flagravimus. Haec idcirco pauca congessimus, quae, licet nec undique simus prosecuti, multa tamen protulimus, quae apud alios perlegere minime liceat, cura praesertim, et humanitate Germani Margarutii, a quo non mediocri hilaritate quamplura accepimus, avideque perlegimus, et ad cives transmittenda in animum induximus.

DE ECCLESIA
SEPTEMPEDANA
LIBRI III.

DE ECCLESIA
SEPTEMPEDANA
Liber Primus

Etsi viderem, aliquos fuisse, eosque jam in historia ecclesiastica summa cum laude versatos, qui sacras Septempedanorum res explicassent: tamen, cum ita posceret ratio instituti, ut, illustratis originibus, progressuque rerum civilium, primus de Ecclesia liber sequeretur; committendum non putavi, ut contra quam pollicitus fueram, haec a me omnis satis salebrosa disputatio praetermitteretur. Omnia igitur, quae ad hoc argumenti genus pertinerent, et methodo, ac fusius quidem, quam ante me Ughellius, Colettius, et Turchius fecerant, describenda, atque huc transferenda judicavi. Dividendum vero librum esse duxi in quinque capita, in quorum priore de christia-

nae religionis apud Septempedanos initiis, in altero de Cathedra episcopali, in tertio de Dioecesi, in quarto de Canonicorum collegio et Templo maximo, in quinto demum de Clericorum seminario disceptarem. Haec si civibus grata fuisse intellexero, arbitrabor, esse me, quod vehementer expeterem, consequutum.

I.

De christianae religionis apud Septempedanos initiis.

Fieri quidem potuit, ut, qui Romam christianum nomen primi omnium intulerunt, iidem ante ad oppida quaedam Italiae appulerint, et in iis evangelium nunciarint. Sed nihil hoc in genere, nisi auctoritate veterum monumentorum, constitui certe potest. Ea enim, aut nulla sunt majorum memoria scripta, aut, si quae olim reperiebantur, omnia progressione temporum perierunt. Missis itaque traditionibus, quae neque satis antiquae, neque Italorum omnium consensu firmatae sunt; initium a Romanis ducam, et ostendam breviter, quibus praesidiis auctae apud eos christianae opes, profectique ex iis fuerint, qui doctrinam, cultumque Christi in caeteras Italiae civitates importarent; ut inde eruatur, cujus potissimum opera, et quo tempore jacta sint apud Septempedanos prima religionis fundamenta.

Ubi Petrus apostolus Romam venit, atque auctor fuit multis, ut, neglecta superstitione

deorum, solidam pietatem colerent; Ecclesiam instituit, quae jam inde a temporibus Claudii Augusti maxima apud homines in celebritate versabatur. Sed quum aegre Judaei paterentur, semperque oriri proinde inter eos, et christianos concertationes solerent; Imperator, qui tumultus ejusmodi in republica ferendos non putarat, omnibus, qui nati Judaeis parentibus erant, sive illi rabbinorum, sive Christi partibus studerent, ut urbe excederent, praecepit. Itaque christiani quamplures, qui originem ex Judaeis traxerant, Romam deserere coacti sunt, alioque abire (1) exulatum per Italiam. Postea, cum data Judaeis redeundi potestas esset, et amplificata majorem in modum (2) undique res christiana fuisset; Paulus apostolus ad Ecclesiam Romanorum literas dedit, quibus promisit, fore, ut ejus visendae causa in urbem (3) aliquando proficisceretur. Interim Petrus, qui maxime eorum studiosus erat, quos

(1) Actor. cap. 18.

(2) Sub Nerone in palatio quoque imperiali nostrae disciplinae, ac religionis homines reperiebantur, qui apud Caesarem gratia, et auctoritate valebant.

(3) Ep. ad roman. cap. 1. v. 8.

Christo conciliaverat, Romam forte adierat, nonnullis (1) Italiae regionibus peragratis. Paulus vero Hierosolimis captus in urbem tandem (2) perductus fuit; ubi, absente Principe apostolorum, qui se ad propagandum evangelium in alias civitates contulerat, aliquandiu mansit, auxitque numerum christianorum.

Quae quidem commemorans, is sane non sum, qui putem Petrum, aut Paulum fuisse, qui semel, et iterum per Italiam discurrentes Christi fidem apud Septempedanos praedicaverint. Ex patriae annalibus sive editis, sive mss. lux ulla ad principia hujus Ecclesiae detegenda minime affulget. Ast, si non longe admodum ab urbe Roma Septempedanorum civitas distabat, ubi apostolorum Princeps arcem religionis constituerat; et si ardenti quidem studio ipse curaverat, ut in finitimas quoque regiones, illustrioresque earum urbes evangelii semen diffunderetur; cui mirum visum fuerit, cives nostros apostolorum tempore divina luce fuisse illustratos, atque in eos christianum nomen

(1) Tillemon. vol. 1. h. e. fol. 173. 185. edit. Paris.
(2) Actor. cap. 28.

saltem fuisse inlatum a quopiam illorum discipulo? Et dum Veliterni (1) traditum sibi a majoribus ajunt, missum Velitras a Petro apostolo Epaphroditum fuisse; dum eodem fere tempore (2) Ostienses, (3) Portuenses, Sabini, apostolorum opera majores suos adductos ad Christum fuisse, tradunt; et hoc idem Praenestini, Tiburtini, Narnienses, Interamnenses, Amerini, Nepesini, Sutrini, Anagnini, Terracinenses, Setini, Signini, Tudertini, Hortani, Ferentinates, Spoletani, Reatini, Assisinates, Perusini, Aretini, Tiphernates, Cortonenses, Eugubini, Nucerini, Æsini, Anconitani, Auximates, et Picentes caeteri fere omnes (4) de majoribus suis narrare pergunt;

(1) Ughellius vol. 1. f. 42. — Borgia hist. Velit. f. 76.

(2) Idem ibi fol. 47.

(3) Idem ibi fol. 100.

(4) Suaserius antiq. Praenest. fol. 54. — Crocchiantus hist. Tiburt. — Martinus hist. Tiburt. vol. 8. — Ughellius de Ep. Narnien. fol. 1007. — Papebrochius vol. 1. fol. 586. — Idem de Ep. Interamnen. vol. 1. fol. 746. — Bullandiani vol. 3. — Ughel. de Ep. Amerin. fol. 297. — Nardinius in op. inscrip. „ *La cattedra vescovile di S. Tolomeo in Nepi* „ — Ughellius de Ep. Sutrin. fol. 1273. — Boldettus obser. in caemet. fol. 210. 504. 746. — Ughellius de Ep. Terracinen. fol. 1278. — Corradinus de Civ. et Eccl.

Septempedani divi Apollinaris, Petri discipuli, labore, ac diligentia idolorum superstitionem tolli in oppido suo caepisse defendunt.

Hanc opinionem amplexus esse videtur Venetus Italiae sacrae editor Nicolaus Colettius. Et sane non in Æmiliae solum, sed etiam in Piceno praedicandi munere Apollinarem fuisse perfunctum, autumant eruditi. Ejus titulo inter nos adhuc insignitur templum, cui inerat animarum procuratio. Illud magnam redolere antiquitatem norunt omnes, aeque ac *Serraltae* castrum haud longe dissitum, ubi etiam nunc colitur uti patronus, atque ubi ethnicos mores viguisse geminae testantur statuae inibi (1) effossae, de quibus porro accuratam dis-

Setina cap. 1. fol. 1. — Ughellius de Ep. Signin. fol. 1234. — Idem de Ep. Tudertin. fol. 1349. — Fontaninus antiq. Hort. lib. 1. cap. 5. fol. 85. — Ughellius de Ep. Ferentin. fol. 672. — Campellus hist. Spol. lib. 4. fol. 103. — Bullandiani vol. 1. — Angelottus descrip. urbis Reatensis vol. 8. — Ughellius de Ep. Assisien. fol. 476. — Idem de Ep. Perus. fol. 1154. — Farullus hist. Aret. — Ughellius de Ep. Tiphernen. fol. 1316. — Idem de Ep. Corton. fol. 620. — De Ep. Eugub. fol. 632. — De Ep. Nucer. fol. 1063. — De Ep. Æsinis fol. 279. — Saracinus hist. Ancon. — Martorellus fol. 423. — Compagnonus in reg. pic.

(1) Sunt in aedibus comitis Severini Servantii Collii.

quisitionem, neque instituti mei ratio a me requirit, neque praereptam volo eruditissimo viro, quem in se hanc praedivitem provinciam suscepisse intelligo. Prope civitatem quoque divo Apollinari fuit sacrum perinsigne monasticum templum *de Morellis* nuncupatum. (1)

Dum nos haec attingimus monumenta, quae Apollinarem penes majores nostros unice spectant, et in quibus, veris germanisque deperditis, minime libet diutius immorari; fatendum tamen, quod, etsi haec opinio esset rejicienda, Septempedani jure semper contenderent, se alicujus apostolorum discipuli fuisse auditores. Nam si Neapolitani quoque, Nolani, Capuani, Campani, Etrusci, et Ligures ipsi, vel a Petro, vel ab ejus auditoribus (2)

---

(1) Urbanus VI. per suas apostolicas literas sub datum Romae apud S. Mariam in Transtyberim XII. kal. martii ann. 1379. Abbatibus *S. Apollinaris de Morellis*, et S. Laurentii de Sanctoseverino, ac Priori templi principis quamdam excessuum absolutionem commisit. — Turchius fol. 271. — Nomen divi Apollinaris adhuc retinent nonnulla praedia abbatiali ecclesiae sancti Laurentii adtributa.

(2) Caracciolus de Sacr. Eccl. Neap. fol. 41. — Struvius fol. 1406. — Monachi Sanct. Capuan. — Giannone hist.

se doctos, quid esset credendum, existimant; quid de Septempedanis sentiendum putabimus in ipsius urbis moenibus ferme positis, et in consulari via jacentibus? Est jam multorum consensione probata eorum opinio, qui, Insubres, reliquosque Transpadanae, et Cispadanae Galliae incolas, aut ab apostolo quopiam, aut a discipulis apostolorum fuisse ad Christum perductos, arbitrantur. Aquilejenses (1) ipsi, Marcum Petri discipulum et evangelistam, cum Romam veniret, aut in Aegyptum contenderet, Aquilejam pervenisse probant. Si igitur de remotioribus etiam Italiae partibus haec, aliaque sunt praedicanda; consideranti plane persuaderi hoc idem posse existimo, fuisse inter Septempedanos homines, qui Christi instituta coli oportere arbitrarentur, etsi radices primaeva Ecclesiae aetate apud eos Christiana religio non egisset.

Et id erat Petro, ejusque successoribus curae, ut Christianorum coetus ubique in Italia constituerentur, neque, eos esse dilatos ad

---

civ. regn. Neap. lib. 1. fol. 57. — Baronius ad ann. 46. — Justinianus hist. Genuens. lib. 1. fol. 24.

(1) Bullandiani vol. 3. — Baronius ad ann. 46.

tempora inde secuta, unquam credam. Nam in remotissimis quoque regionibus adeo erat Christi religio propagata, saeculo secundo vix incaepto; ut ne vicus quidem esset, in quo Christus minime coleretur. Anno circiter centesimoquarto aerae vulgaris, teste Plinio juniore ad Trajanum, et in Bithynia is erat credentium numerus, ut, si suppliciis tollendi fuissent, toti provinciae ingentem cladem afferri oportuisset. Igitur ne vix quidem in animum inducere possum, prima fidei fundamenta apud Septempedanos jacta fuisse a divo Marone presbytero. Sed plane assentior iis, qui in Piceno, saeculo primo ad occasum vergente, auctas ab eo majorem in modum (1) christianas res arbitrantur. Quare debitam Maroni grati animi significationem studuerunt semper exhibere Septempedani, et fidentes eum auspicem expostularunt, et ejus in sinum quasi sponte sua confugerunt (2).

Caeterum vix dici potest, quot novas ap-

(1) Bernardus Gentilius in dis. Sept. — Catalanus de eccl. Firm. Marangonius hist. Civ. nov. lib. 1. cap. II.

(2) In diplomate Episcopi Camer. ann. 944. a Muratorio, Lilio, et Turchio relato in app. fol. 15. habetur „*juxta ipsu castella* (Sanctiseverini) *qui fuit de dote sancti Ma-*

pellationes Christiani invenerint, quibus sese ab aliis distinguerent, et suam erga Deum religionem, et pietatem explicarent in proximos. Quare a Clemente Alexandrino (1) observatum est, sacris (2) in literis *agnos* fuisse dictos, ob simplicitatem, et vitae innocentiam, etiam probos, piosque christianos. Imo etiam Apostoli eisdem rationibus et vocati a Christo *agni* fuerunt, et ea figura expressi a majoribus nostris sunt, seu in antiquis picturis, quarum nonnullae in caemeteriis (3) urbis visuntur, seu in lapidibus, quorum unus modo assutus conspicitur in externis pervetusti hujus templi maximi parietibus: nisi verius in ipso Christus *agni* symbolo denotetur (4).

---

roti „ — Ex parergis notabilibus ad S. decimum jussu Dionysii Pieragostini Episcopi Septempedani anno 1741. editis, et ab eodem Marangonio relatis, apparet, apud Septempedanos honorem semper Maroni fuisse delatum: et in kalendario anni 1742. sub die 18. augusti ita legitur „ *S. Maronis M. in ecclesia cathedrali tantum dup. min. ob insignem reliquiam unius ex vertebris nuper habitae in solemni recognitione sacri corporis peracta die* 28. *junii* 1741. „

(1) Lib. 1. Paedagogi cap. 5. fol. 105. tom. 1.

(2) Joannes cap. 21.

(3) Boldettus „ *osserv. sopra i cimiterj de ss. Martiri di Roma.* „ Lib. 1. cap. 6. fol. 22.

(4) Idem ibidem.

II.

De Cathedra Episcopali

Ubi e vivis Domitianus excessit, et Nerva imperium fuit adeptus, Christiani pace tantisper potiti animum ad confirmandos in fide suos converterunt. Erat eo tempore Episcopus Romanorum Clemens, qui nihil praetermittebat, quod ad salutem suorum spectare videretur. Quamobrem vix eos optimis legibus munivit; episcopos aliquot, ut est verisimile, ordinavit, eosque in varias misit regiones. Imo ex priscis Ecclesiae annalibus constat, Pontifices inde secutos non modo eos constituisse, qui rem christianorum sacram administrarent, sed caeterorum etiam coetuum curam gessisse, eosque omnibus rebus, quibus poterant, haud difficile quidem, juvasse. Nam, Hadriano, et Antonino Pio imperio, atque vita functis, scimus, Marcum Aurelium Antoninum, Commodum, Septimium Severum, Caracallam, et Alexandrum aequitate in christianos utendum existimasse. Gallienus, sublatis Philippis Decio et Valeriano, ut christianis templa, et caeme-

teria restituerentur, binis edictis mandavit. Summopere etiam sub Tacito, dein sub Probo, post sub Caro augustis ita nostri respirarunt, ut non pauci eorum in aedibus principum degerent, jus dicerent, provincias administrarent. Hoc statu diu cum Ecclesia fuisset, consequuta tandem est, ut Constantinus Maxentium tyrannum bello superaret, atque in Urbem ingressus templa vero Deo exstrui juberet, ac leges scriberet, quibus ethnici non modo a vexandis nostris, sed etiam a superstitione deterrerentur. Christianis rebus ita firmatis, et a nobis eo quidem expositis, ut in scopum nostrum contenderemus; quo tempore episcopalis Septempedanorum sedes instituta; quo barbarorum immanitate eversa; et quo tandem, bellis ac factionibus omnino necatis, instaurata fuit, videamus.

Nemo est, qui nesciat, Apostolorum aevo episcopis (1) fixam sedem nequaquam fuisse. Ordinabantur enim, non civitati uni ejusmodi Episcopi, sed universae nationi; propterea

(1) Thomassinius de nov. et vet. ecclesiae discip. Vol. 1. lib. 1.

quod persaepe nec nota quidem erant civitatum nomina. Adde quod viris apostolicis, proinde ut Apostolis ipsis, obsequendum erat spiritui, cujus impetu rapiebantur, nec remorandus evangelicae victoriae cursus velocissimus. Hinc porro factum est, ut hujusmodi episcopi regionarii, seu apostolici dicerentur. Hinc eumdem protoepiscopum plures sibi vindicant urbes; quum nequaquam protoepiscopi loco eum habeant, qui, episcopali cathedra apud eas constituta, primus ibi sederit, sed qui primus eas evangelii luce collustraverit. Negari tamen non potest, quin, aucto ubique fidelium numero, fundatae cito fuerint ecclesiae, et instituti episcopi, qui novam Christi sobolem exciperent, curarentque.

Et vero plures ubique (1) episcopatus erecti sunt jam inde ab saeculo secundo, ut de Italia maxime liquet ex libro pontificali Ecclesiae Romanae. In eo enim vix ullus est ex Romanis Pontificibus ejus aevi, cui non plures ordinati episcopi adscribantur. De nonnullis vero Italiae ecclesiis, earumque traditionibus, etsi

(1) Sartius de ecclesiae Eugubinae antiquitate.

videndus sit Ughellius (1); quamplurimas tamen fuisse ex iis urbibus in Italia, in quibus ante tertium saeculum episcopi nomen non sit auditum, rerum ordinem ac tempora perpendenti constabit. Neque enim christiana religio in omnibus illico universae Italiae municipiis diffundi potuit, ac radices agere. Sed si circa medium illud saeculum Cornelius Romanus Pontifex synodum contra Novatianum coegit sexaginta episcoporum, ex vicinis utique provinciis; et si mirum sane, Decio imperante, tot potuisse (2) in ipsa urbe Roma antistites convenire: quis dubitet, multo plures episcopos Italicarum provinciarum domi esse relictos, ut in tanto periculo ecclesias sibi creditas tuerentur? Quis non videt idcirco, jamdiu in nobilioribus quibusque civitatibus cathedras episcopales fuisse erectas, atque in iis maxime, quae in splendidissima Picentum regione inter praecipuas, uti de Septempeda tenendum, numerabantur?

De collocanda metropoli ajebat Clemens

---

(1) Consule cl. Maffaejum in epistola ad Colettium.
(2) Epistola ad Antonian.

primus papa: in illis civitatibus, in quibus (1) dudum apud ethnicos Archiflamines minores, Archiepiscopos institui beatus Petrus praecepit. Et licet conditio ista in Septempedanorum municipium non cadat, ad metropolim inter eos constituendam; tamen ex Anacleti papae epistola (2) ad episcopos Italiae, et ex monumentis in secunda rerum civilium dissertatione illustratis; satis, ni fallor, patet, quemadmodum in eo municipio, tanquam in loco honorabiliori, *Flamen*, et *Procurator* residebant; ita eisdem de causis, nisi metropolitanum, episcopum saltem esse in eodem collocandum. Distulisse autem id vigiles Petri successores ad quartum, quintumque saeculum apud nos, nunquam credam. Ex hac enim opi-

(1) Epistola 1.

(2) In epistola 2, ita „ *Provinciae multo ante Christi adventum tempore sunt divisae, et postea ab Apostolis, et Clemente praedecessore nostro ipsa divisio est renovata, ut in capite provinciarum, ubi dudum Primates regis saeculi erant, ac prima judiciaria potestas . . . . ad quos, qui per reliquas civitates commorabantur . . . . confugerent . . . . quoties opus esset: ipsis quoque in civitatibus, vel locis nostros Patriarchas, vel Primates . . . . leges divinae, et ecclesiasticae poni, et esse jusserunt, ad quos episcopi, si necesse fuerit . . . . appellent.* „

nione illud sequeretur, longe tardiores in Piceno, quam in caeteris vel illi conterminis provinciis, a christiana religione uberiores progressus fuisse factos.

Et quidem, si *Procurator* civitatis Septempedanae, quem hydrope affectum a divo Marone curatum fuisse diximus; si cum eo, uti necessarie dicendum, Septempedani religionem, cui se addixerant, aperte profitebantur; cui mirum, tot imperatoribus in nostros voluntate propensioribus, et permittentibus, ut eorum in Italia propagaretur religio, ignobiliores Italiae (1) recessus, et urbes, quae admodum modico invicem distabant intervallo, habuisse cathedras episcopales? Quis dubitaret de illustrioribus? Septempedam per ea tempora alicujus fuisse nominis, ex monumentis est exploratum. Multarum urbium (quid ni et nostrae?) Episcopi a medio saeculo tertio nobis innotescerent, nisi priorum saeculorum monumenta intercidissent; nisi conciliorum Romae habitorum primaevis saeculis acta, et episcoporum

(1) Sartius loc. cit.

obsignationes (1) Diocletiani, et Juliani praesertim, Julii Constantii filii, in christianam religionem furor nobis invidisset (2).

Sed nostri, Joviano optimo principe ad imperium vocato, respirarunt. Huic Valentinianus, ab Apostata ob religionem tribunatu motus, successit, Deo probrum in decus vertente. Et si mox Valens episcopos ab exilio revocabat; si postea Mediolani ab Ambrosio Theodosius templi aditu prohibitus poenam ab illo impositam rite persolvebat; si Leo pon-

(1) Prudentius in Emetherio, et Chelidonio ita queritur.
Chartulas blasphemus olim nam satelles abstulit,
Ne tenacibus libellis erudita saecula
Ordinem, tempus, modumque ....
Dulcibus linguis per aures posterum spargerent.
De sacris codicibus diligenter ab ethnicis conquisitis legendi Vales. dissert. de schism. Donatist., Natalis Alex. H. E. 3. p. 1. c. 1.

(2) Ad religionem delendam Julianus sibi rationes ineundas esse putavit, quae nunquam in mentem ethnicis principibus venerant. Quare Eunomianos, Arianos, Donatistas, Novatianos restituit. Nostrorum codices igne, Christianorum animos illecebris magis, quam cruciatibus tentavit, ob hoc perniciosior hostis, quo lenior. Sed occultum rei nostrae vexatorem non diu tulit Deus, et dum arma in Persas ipse movebat, ducis fraude perductus in insidias cecidit.

tifex, cognomento magnus, modo Attilae regi ad Mincium amnem occurrens divina eloquentia persuadebat, ut, conversis repente signis, abiret; modo iram Genserici Vandalorum regis urbem jam jam directuri lenibat; et Justinus primus Graecorum imperatorum a Joanne Pontifice augustalibus insignibus decorabatur: nequaquam doctorum hominum reprehensionem incurremus, si ad tot Caesarum gratiam in nostros, si tot Pontificum majestate accedente, Septempedanam Ecclesiam longe ante saeculum sextum fundatam esse statuamus. Minime enim ex monumentorum silentio, seu verius defectu, id labefactari ullo modo potest, quod rationi consentaneum, et longe probabilibus conjecturis recte firmatum esse comperitur.

Et revera, dum devicta ex Africa Belisarius (1) triumphabat; et Justinianus paterna, atque avita patrimonia ex Vandalorum invasione amissa ab Afris vindicabat, Mauros, barbaros ejusdem provinciae populos, ex gentilibus reddens christianos: Septempeda, ait Colettius, suos jam habebat episcopos. Sed vix Theodatus, defuncto Atalarico, liberas Gotho-

(1) Procopius lib. 2.

rum regni habenas nactus fuit; Amalasunthae beneficii immemor diro illam carceri mancipavit. Tum Justinianus jure se Theodato pacem negare posse ratus; Belisario imperavit, ut continentem Campaniae (1) oram invaderet. Hinc novae, ac diuturnae in Italia calamitatis origo; hinc imminens Septempedae eversio, et in ipso patenti ortu episcoporum defectus.

Theodatus Neapolis amissione perculsus dum fugam adornat, a suis interficitur, a quibus Vitiges rex appellatur. Belisarius, urbis moenibus exercitu statim admoto, ea potitur; et Vitiges, contractis ex Italia, Galliaque (2) Gothorum millibus centum fere et quinquaginta, urbem obsidet. Haec inter a Belisario, Theodora augusta adnitente, exauctoratur Silverius pontifex, quasi Gothis prodendae urbis consilia agitasset; et subrogatur Vigilius. Silverius sub custodia Byzantium (3) ad Augustam missus, haud multo post aerumnis confectus moritur anno 540; et Vigilius

(1) Idem lib. 1. — P. Diaconus lib. 18.

(2) Cassiodorus lib. 10. ep. 32. — Procop. lib. 1.

(3) Procopius de bello Persico lib. 2.

se ipsum pontificatu abdicavit; qui sex tamen post dies legitimus Pontifex nec poenitendus fuit habitus. Ipse eodem anno, juxta computum (1). Colettii, sanctum Severinum Septempedanorum episcopum inauguravit.

Vix dici potest, quot dubia in constitutionibus, responsis, et epistolis encyclicis Pontifex immortalis memoriae (2) solverit, erroresque sustulerit, qui in christianam multarum regionum disciplinam, atque historiam irrepserant. Is longaevus, totaque vita occupatus in utroque sibi commisso imperio, non intermisit etiam nostrarum rerum studia, et scitissime scripsit (3), *hanc civitatem . . . priscis temporibus episcopali cathedra decoratam fuisse, pluresque antistites habuisse, quos inter sanctus Severinus saeculo Cristi sexto virtutibus, et signis clarus emicuit.* Et reapse patet ex actis divi Severini, saeculo septimo exaratis, et a Bullandianis editis (4), in sedem

(1) Italia sacra vol. 2.

(2) Benedictus XIV.

(3) In constitutione, quae incipit — *Supremi Pastoris* — Romae apud s. Mariam Majorem anno 1748. X. kalen. maii.

(4) *Beatus Severinus Septempedanae ecclesiae accessit in Praesulem* . . . et infra *paucis verò revolutis diebus prae-*

episcopalem antecessores equidem, et successorem forsan habuisse. Omnibus enim destitutus monumentis nullum novi, qui hanc sedem tenuerit, postquam Severinus migravit ad superos. Sed quid mirum? Altero etiam, ac quadragesimo hujus saeculi anno Basilius junior creatur consul, et post eum alium nullum in romanis fastis licet invenire. Theobaldo, et Alarico Gothorum regibus interemptis, Totilas, Theobaldi nepos, malo Italiae, et praesertim Septempedanorum fato, regnum capessit, et bis anno 542 apud Æmiliam, atque Etruriam, collatis signis, romanos duces longe superavit. Alterum regni annum auspicatus Totilas exercitum urbi admovet, et Belisarius (1) impar viribus Æmiliam petiit, ne Italiam reliquam deserere cogeretur. Barbari interim, romanis exercitibus profligatis, portentoso aestu cuncta ubique devastabant, et perpauco tempore elapso a divi Severini morte, ho-

---

fatus Praesul obdormivit in Domino, et Beatus Severinus .... in episcopum est electus a Clero et populo .... et tandem *Pastorem in tua colloca ecclesia.* — Acta SS. vol. 1. januarii.

(1) Procopius de bello gothico lib. 3.

stili Gothorum incursione eversa fuit civitas, et episcopi defecerunt. Tum prisca hujus ecclesiae monumenta, tum antistitum dyptica fato nunquam satis deplorando deperdita fuisse statuendum. Et nisi subsequentium barbarorum furor nonnulla a flammis, ab ense forsan nondum absumpta, Piceno praecipue invidisset; profecto hujus ecclesiae notiones, quae ardentissime desiderantur, nobis innotescerent. Ita Roma ipsa paulo post a Totila capta (1) direptaque, documento fuit urbium, ac regnorum, quam esset fluxa felicitas.

Belisarius nunquam loco perstans Byzantium ab Augusto revocatur, ac, suae ipse superstes famae, non inglorius modo, sed etiam vixit infelix. Nec laetae magis Justiniano res fuere. Italia quippe amissa, reliquum quoque occidentale imperium facile amisit, barbaris undique ingruentibus. Sed in tanta humanarum divinarumque rerum profligatione Septempedani, qui tot cladibus superstites extitere, novum condiderant oppidum, quod mox sancti Severini episcopi nomine (2) appellari vo-

(1) Idem ibidem.

(2) Baronius in martyr. rom. adnot. sub die 8. junii.

luerunt. Minime vero episcopium, quod inter illos erat constitutum, potuerunt reparare, suosque pastores sibi denuó seligere. Imo, donec barbaricae illae gentes, quae in Italiam irruerunt, accitae a Narsete, per ludibrium in gynaeceum revocato, etherodoxae fuere; in votis potius cathedrales ecclesias conspicere derelictas, quam catholicis episcopis restitutas habuerunt.

Postquam vero sub Agilulpho Longobardorum rege, uxoris ejus Theodolindae precibus, et sancti Gregorii magni studio, catholicam fidem sunt gentes illae secutae; tunc episcopales cathedrae, quae jamdiu vacaverant, fuerunt illicó pastoribus cohonestatae. Id tamen novae Septempedanorum ecclesiae nequaquam evenit, quemadmodum aliis accidisse dignoscitur. Sed idem pontifex dioecesum in Piceno vastatarum curam non intermisit vicinioribus episcopis demandare, uti in ejus epistolis liquido patet: et tunc equidem fuit, quod oppidi nostri spirituale regimen Camerini episcopis fuerit commendatum, ea maxima porro *unione*, vi cujus ecclesia ista, episcopatu penitus abolito, cum illa prorsus, ac indistincte coalesceret. Neminem autem futu-

rum esse arbitror, qui hujus, de qua loquor, conjunctionis documenta ipsa a me proferenda esse putet. Situs enim ipsius Septempedanae ecclesiae, quae defecit, tacito quodam modo nos admonet, eam Camerinensi, utpote proximiori, conjungi debuisse: fuisse autem revera conjunctam, satis declarant ea, quae apud nos sunt documenta. In iis enim videre est, penes antistitem Camerinensem, minime vero penes Auximanum episcopum, omni tempore fuisse eos agros, easve agrorum partes, quae antea in abolita dioecesi nostra continebantur. Nam, quod in diplomatibus error cubet interdum; aequo sane animo ferendum esse judicabit quisquis in sequiorum temporum antiquitatibus hospes plane non fuerit. Saepe enim volventibus chartas vitiata occurrunt, dioecesis praesertim, nomina; quae quidem vitia in eos rejicienda esse, qui a manu fuerunt, nemo unus ignorat (1).

(1) In hujusmodi errorem lapsum animadvertimus anno 1395. scriptorem diplomatum Bonifacii IX., dum ait „ *Domus ordinis Fr. Praedicatorum s. Mariae de mercato de Sanctoseverino, Auximanae dioecesis.* „ Vide Gentilium in antiq. Septempedanis pag. 59., et Antonium Bremondium in bullario ordinis Praedicatorum notis illustrato.

Haec et alia etiam tristia, saeculis inde tenebris ignorantiae involutis, armis potius quam pietati incumbentibus, nova haec ecclesia pertulit damna, neque caput attollere, neque reflorescere potuit nisi sero. Nam ex crebris Arabum incursionibus, dissoluta conjunctione inter utramque imperii romani partem; desiere fontes, e quibus derivata fuerant in occidentales ecclesias flumina eruditionis, et praesertim philosophiae; donec, Longobardis imperio Italiae potitis, splendor fere omnis exolevit. Et quamvis subinde Carolus magnus pristinum ecclesiarum nitorem tum in Italia, tum in Gallia restituere curasset; tamen frequentes Normannorum incursiones, et intestina Carolinorum principum bella incremento ecclesiarum obstitere. Sed saeculum decimum plane funestissimum illico experta est Italia; et ecclesiae nostrae calamitati inferendae plurimum contulerunt literarum defectus, et aegyptiacae papyri jam tunc rariores in Italia, occupata a Saracenis Egypto, et abrupto commercio inter orientem, ac occidentem. Quamplures tamen ad sacras res nostras illustrandas supersunt chartae pergamenae, seu membra-

nae, quae a nobis erunt, quum opus fuerit, proferendae (1).

Sed bonarum artium studiis, quae Silvester secundus Romanus Pontifex, et Otho Imperator tandem excitaverant, obstitisse videntur, saeculis undecimo et duodecimo, barbararum gentium irruptiones, et frequentes in Palestinam expeditiones, quae episcopos, principes, clericos, laicos occuparunt. Non defuit tamen ecclesiae nostrae episcoporum Ca-

(1) Bernardinus Crivellius, non uno nomine optime de civitate, et ecclesia Septempedana meritus, in volumen diligentissime mandavit omnia, quae majori, quaeque minori pollent antiquitate. Licet autem multa in eo sint Romanorum Pontificum, Imperatorum, et Ecclesiae Romanae Legatorum diplomata, et acta; plerumque tamen offendimus donationes, venditionesque, emphyteuses, praestarias, precarias, litiumque contestationes: demum, ut omnia complectar brevi, liber hic oeconomica ecclesiae Septempedanae monumenta continet. Et nisi quamplures vetustae chartae in codice comprehensae fuissent, quae mihi in saeculorum obscuritate quasi facem praetulerunt; profecto nedum plurimarum rerum memoria, sed ne ipsa quidem nonnullorum civium nomina ad nos pervenissent. Quum autem exemplar suo archetypo optime respondere comperirim; hinc factum est, ut exemplar ipsum in diplomatibus, et chartis promendis appellarim: ea nempe ratione, ut cuilibet, praesertim e nostratibus, cupienti ea diplomata, aut chartas integras perlegere, quas indicavero tantum, vel mutilas attulero, commodiorem viam aperirem.

merinensium patrocinium; et quamplures asceteriorum viri res nostras universas non neglexerunt. Ita licet colligere ex tot imperatorum ac pontificum diplomatibus hac in opella adducendis. Et, si diuturna romanorum pontificum ab urbe absentia, schismata gravissima, molesta principum arma, hostium irruptiones, frequentesque civium dissensiones oppidum, resque publicas diu multumque perturbarunt; magni consilii pontifices, inter graviora reipublicae negotia, ecclesiae nostrae incolumitati, et incremento semper consuluerunt, mandaruntque, ut ipsa iis frueretur gratiis omnibus, quibus praecipuarum urbium fruebantur ecclesiastici viri. Et haec quidem in causa fuerunt, ut tandem episcopali dignitate rursus cohonestaretur, cathedralem sancto Severino (1) sacram acciperet, Sixto V. jubente anno 1587, et unius Apostolicae Sedis arbitrium immediate veneraretur. Sed ubi Firmanam ecclesiam idem pontifex in metropolim erexit; Septempedanum praesulem hujus metropolis suffraganeum dixit anno 1589 (2).

---

(1) Ex bullario Xisti V.
(2) Ughellius vol. 2. fol. 763.

Pluribus subinde privilegiis, nec levis momenti, Pontifices episcopos nostros donatos voluere, quibus ipsi ad Septempedanorum studia magis incitarentur, et magis in urbe vigeret eorum majestas. Sed inter antiqua et recentiora tria hic tantum memorare praestat, quae non immerito dixerimus, inter peculiaria privilegia, episcopis ab apostolica sede elargita, esse, recensenda. Nam primo liberum fecerunt (1) civibus, ad sua definienda negotia, quae cum judice laico etiam in profanis, et inter mere laicos agitari solebant, Episcopum adire, ut ante cathedralitatis honorem in more jam erat inductum. Secundo, a Benedicto XIV. anno 1748. jurisdictio abbatis commendatarii sancti Laurentii in doliolo, sancti Eustachii, et Rambonae fuit prorsus extincta (2), uti fusius alio loco innuemus. Hujus ecclesiae splendori augendo studuit in tertio Pius VII, qui anno 1821. templum sancti Augustini aeque et simul cum ecclesia divi Severini ca-

(1) Vide decretum immunitatis 7. septembris 1638., et decretum Signaturae de mense aprilis 1710.

(2) Ex constitutione Benedictina desuper recensita.

thedralem (1) esse decrevit, episcopo Ranghiascio curante. Quare convenit, ut summis pontificibus in tantis rebus, quas recensui, universa Septempedanorum ecclesia agat gratias, cum nihil gloriae desit, nihil desit publicis rebus. Reliquum modo est, ut breviter subdam, quae ad episcopi mensam, ita dictam, pertinere dignoscuntur.

Ubi primum sancti Severini ecclesia in cathedralem fuit rursus erecta, et datus civitati peculiaris Episcopus; pro illius mensa a Septempedanis super publicis molendinis prope Potentiae flumen scutata mille fuerunt constituta, et Praetoris palatium pro Episcopi statione. Memorant hanc rem literae cardinalium Azzolinii, et Aragoniae datae anno 1586. ad Franciscum Cantuccium (2) Episcopum Lauretanum, eamque confirmant tabulae (3) eodem anno obsignatae. Haec mensa ita se habuit, quoad Episcopus Forlanius tenuit ecclesiae clavum. Ut vero in antistitis Prosperi commo-

(1) Die 22. maii sub annulo Piscatoris.

(2) Diebus 27. octobris, et 29. ejusdem mensis.

(3) Die 7. novembris 1586. per acta Vidonis de Capessinis.

dum cessere nonnulla bona abrogati sodalitii sancti Antonii abbatis de *Cesalonga*; episcoporum census locupletior esse caepit. Dein mensae quasi praefecturam suscepit anno 1802. Petrus Jacobus Scina-Gentilius, qui curas perpetuas in eam impendit, suae aedis parte (1) scripto legata. Quod sane commendatum volui posteritati, dum primaevae episcopales aedes, ac tribunal in montis nigri vertice a frequentioris populi domiciliis satis erant dissitae. Sed alia longior jurium accessio, episcopi Ranghiascii cura, huic mensae obvenit. Is enim ad illius profectum, quantum ei permittebatur, omne quidem conficiendum putavit. Quare, ubi Septempedanae universitatis jura pontificio aerario adtributa fuerunt; effecit, ut ab eodem aerario episcopali mensae scutata mille desuper recensita libera traderentur. Cum alia deinde bona in cathedrae dominatum essent reversa; eadem in meliora reduxit, donec Leo XII. hujus antistitis mensam ditiori censu exornavit. Hinc Septempedanorum erit in ejusmodi beneficii contemplatione semper immorari, seque et pontificis, et episcopi memores ostendere.

(1) Ex rogitibus Joannis Antonii Gentilii sub die 3. maii.

III.

De Dioecesi Septempedana

Romani in provincias redigere regiones consueverant, quas, aut jure belli, aut alia quacumque ratione, subegerant; et eas, vi superatas, contineri in officio sine armis non posse cognoverant. Quare exercitus in provinciis locabant, ad eas Praesides cum imperio (1) mittebant, et, praeter hos, Procuratores, qui (2) equites erant, aut liberti, quique id maxime curabant, ut provinciarum incolae (3) secum sacrorum similitudine convenirent. Ne quae etiam turbae, et dissensiones, aut de doctrina, aut de rebus caeteris, orirentur; ab Apostolis, eorumque successoribus constituendi omnino fuerunt, qui rem christianorum publicam administrarent. Itaque majores nostri, et recte et sapienter episcopos in dioecesi fuisse (4) po-

(1) Svetonius in vit. C. Caesaris cap. 25.

(2) Dio Cassius lib. 53. e 57. — Tacitus lib. 12. cap. 32.

(3) Strabo lib. 4. geograph.

(4) Acta Ap. cap. 20. — Ep. ad Ephesios cap. 4.

pulo christiano datos, dixerunt, qui doctrina, redargutione, ac poena homines suae fidei creditos in officio continerent. Fuisse in prisca Septempedanorum ecclesia episcopum, qui potestatem ejus pascendae, gubernandaeque obtineret, nihil est causae, cur esse iterum ostendendum putem. Quare instituti ratio nunc postulat, ut de antiqua, et nova Dioecesi disseram.

Priscis illis temporibus, in quibus nondum Constantinus exulem diu pacem veluti postliminio revocaverat, omnibus est persuasum, cujuscumque episcopatus initio eosdem fuisse tum sacri, tum civilis (1) imperii fines; ita ut, quo territorium, eo etiam dioecesis, quo urbanorum magistratuum, eo quoque episcopi auctoritas protenderetur. Ex quo vero ex alpibus ipse descendit, et Maxentium ad Tyberim urbe egressum memorabili praelio debellavit; dici vix potest, quanta hinc christianae fidei accessio, ac propagatio facta sit, et quantum decus episcopis redundaverit ex innume-

(1) Muratorius. dissert. 74. — Maffaejus Ver. illustr. lib. 6.

ris ipsius ad eorum dioeceses spectantibus placitis. Dum ita ad amplissimam gloriam ecclesia perveniebat; licet a Donatistis vexata, et ab Arianis petita; dum Constantius diende, mox Valentinianus, dato ad Mamertinum rescripto, eos revocabat, quos Julianus a docendi munere (1) christianos arcuerat; quaenam sacrae et civilis Septempedanorum jurisdictionis esset porrectio, frustra in tot, tantisque rerum vicissitudinibus, tam imperio, quam ecclesiae modo adversis, modo secundis, quis quaereret.

Ubi vero Honorius tributam ab Apostolo judicandi, etiam inter laicos, episcopis potestatem, nescio quo pacto interceptam, sanctione (2) edita restituit; et ubi episcopis praecipue licuit (3) Praesidum sententias irritas facere; quisque, ni fallor, videt, in Septempedanorum municipio, ejusmodi magistratu jam fulgente, sacrum antistitem necessario fuisse invectum, et ejus dioecesim nisi adauctam,

(1) Leg. 6. de med. et profess.

(2) Lib. 7. de episc. aud.

(3) Lib. 16. de poen. C. Th. et lib. 16. de Ep. aud. C. Iust.

novo equidem splendore affectam. Sed ex quo Radagasius barbarico plane impetu ad urbis excidium inconsulto properavit, et Attila Picenum ferro, et flamma vastavit, Vandalis etiam Italiam populantibus; nemo prudens inficiabitur, ecclesias passim gravia multa tulisse, et dioecesim nostram Camerino, Tolentino, Urbi-salviae, Cingulo, Mathilicae, et agro Trejensi (1) conterminam, ac secus consularem viam jacentem, misserrime attritam fuisse. Ita pene exanimati viderunt Itali Ostrogothos sub Vindemiro regiones istas invadentes; viderunt hinc Herulos, duce Odoacre, in eas immissos, et pacto nunquam satis deplorando a rege isto barbaro romanum imperium exstinctum.

Dum hoc casu Italia in primis concutiebatur, Justinianus, aequam belli causam ex Gothorum immanitate abunde sibi suppetere, animadvertens, invadendae Italiae consilium volvebat, quod postea pro armorum diuturnitate eventus docuit exitiale: nam cladis, flammae, famis, pestisque incommoda infelix subire coacta est. Tum episcopales sedes plerumque vi-

(1) Turchius Cam. sacr.

duatae pastoribus, tum civitates eversae, tum mira dioeceseos finium confusio, et praecipua finitimorum antistitum in derelictas ecclesias solicitudo, viris passim eremum petentibus. Hinc nil mirum, si Septempedanus episcopus semel, et iterum suos ultra limites excurreret, et si tum Severinus, qui nondum infula nostra erat redimitus, cum fratre suo Victorino in montium recessibus solitariam degeret vitam. Scimus revera, abrupta Prolacis loca, a nobis haud longe dissita, Victorinum fuisse ingressum, atque ad ea *suum Pontificem* deduxisse Severinum, ut de satis diuturna post lapsum poenitentia Victorinum exsolveret. Haec eorum acta saeculo septimo forsan exarata, et (1) ab Adone conquisita, testantur; haec veneranda traditio ab antiquissimis temporibus (2) inducta confirmat. Et si ab anno 504 ad annum 649 vastus patet hiatus in Camertum episcoporum successione; quisque facile dicet (3), antisti-

---

(1) Bulland. act. ss. mm. jan. tom. 1. — Baronius in not. ad martyr. ad diem 8. junii. — Cancellottus in vita sancti Severini lib. 2.

(2) Turchius loco cit. fol. 91. — Lilius lib. 3.

(3) Muratorius loco cit.

tem nostrum charitate motum saepe saepius petiisse Prolaqueum, quod militaris statio tum erat, quodque eo tractu viae Flaminiae jacebat, qua ab urbe per municipium Septempedanum Anconam (1) progrediebantur romani. Sed quorsum plura? Ubi enim Severinus fuit episcopus conclamatus, anni subierunt nostris funestiores. Nova barbarorum irruptione post ejus mortem sequuta, bellum adeo recruduit, ut funeribus civitas exhausta omnes eversas viderit aedes, et, vastato a barbaris agro, pristinum dioecesis splendorem undique amiserit.

Dum ita res nostrae se habebant, Longobardi haud multo post Italiam miseranda clade affecerunt. Ii ex more non tam fluminibus, quam agris, et provinciis nova etiam nomina imponentes, finesque immutantes, derelictae dioecesi nostrae dederunt extrema. Sed, Pelagio pontifice vita functo, in ejus locum suffectus fuit Gregorius, qui ecclesias episcopis destitutas, et earum dioeceses finitimis praesulibus adjungere non solum omni ope conatus est,

(1) Vide itinerarium Antonini, et Bergerium de pub. et milit. imp. rom. viis apud Grevium vol. 10.

quod et de Septempedana perfecit, sed etiam de monastica disciplina restituenda sollicitus vixit. Quare dum Sigebertus (1), dum Bamba, dum Rachis, recenti forsan Carolomani exemplo commotus, et dum Lotharius ipse, aliique rerum humanarum pertaesi, se abdicabant imperio, monasticae disciplinae addicentes, sese clariores spreto regno quam gesto: Septempeda ex Gothorum excidio rediviva antiquatos inter dioecesis limites templa a fundamentis undique extructa, et adjuncta coenobia miro sumptu excitata, collatis censibus praediisque, videbat, uti suo loco innuemus.

Ita pristino propemodum nitori dioecesis esset restituta, nisi mos tota in Italia deinceps invaluisset, ut non solum praedia, ut olim apud Romanos, sed villae quoque, castella, et oppida (2) in beneficium privatis tribuerentur. Sed ubi tandem urbes caput erexere, magnopere laborandum fuit, ut distracta territorii membra ipsae componerent, et amissa recuperarent. Postquam vero fuit inducta in omnibus fere civitatibus, et oppidis reipublicae forma,

(1) Sigebertus chron.

(2) Muratorius dissert. 47.

ac comites pagenses ita dicti caeterique nobiles viri, qui castra, qui arces, qui turres suis in fundis extruxerant, vel antiquitus extructa occupaverant, in urbem migrare, et in civium numero haberi caeperunt: aut facta est aequis conditionibus castrorum, et arcium deditio, aut armis victi fuere, qui obstinatius repugnaverant. Ita exemplo aliarum civitatum (1), atque oppidorum paulatim res etiam nostra restituta fuit, ita auctus Septempedae incolarum numerus, ita auctae aerarii vires, ita oppidum quam maxime florere visum est. Nam, quamvis Italiam hinc Manfredus, hinc saevissimus Ezelinus pro libidine infestam haberent; et Piceni urbes pene omnes ab Manfredi tyrannide minime essent immunes, ac Guelforum, Gibellinorumque factionibus mirum in modum destruerentur; tamen Septempedani miserrime conflictati A. C.
eodem anno 1257 agrum suum, suaque jura 1257
emptione castri Aliphurni ampliarunt, in quo Guillielmus episcopus Camerinensis temporale jamjam moriturum imperium exercebat (2).

(1) Idem ibidem.

(2) Guillielmus I. Episcopus Camerinensis die 17. januarii 1257. vendidit Septempedanis castrum Aliphurni cum ejus

Sed jam successione temporum infensissima eo Italia devenerat, ut eam vehementius
A. C. tentassent laedere homines perditissimi. Quare
1294 Martinus IV., qui apud Faliscos diverterat, Matthaeum Ursinum Romam legaverat, ut res inibi componeret, et Joannem belli ducem ab incendiis ac rapinis, si fas, abduceret: nam civitatum quoque pars maxima Romanae sese Ecclesiae imperio exemerat. Interim Rodulphus Augustus suum apud Italiam cancellarium dixit Lavaniae comitem e Fliscorum gente, qui pe-

---

agro pretio 600. libr. Rav. et Anc. juxta Turchium loco citato. De hujus castri nomine aliquam conjecturam facere licet ex inscriptione inibi elapsis annis effossa. In ea *L. Calpurnius R. Macedo Binela Maximus* legitur. Vidi eam in aedibus praepositi ejusdem castri, et vehementer indolui, disjectam fuisse, atque divulsam injuria temporum, et hominum barbarorum despectu. Nam quid sibi velint reliquae vix pauculae literae, nemo, opinor, certo dixerit, nisi quis putet eas ad posteriorem Calpurnii aetatem referre. Pene nitida est forma, quae in relatis verbis apparet, neque est, ni fallor, cur summa reliquis tribuatur antiquitas. Haud procul a castro erat vetustissimum templum, cui novi operis ecclesia imposita est. Illud XLII. pedes in longum obtinebat, in latum XXIX. totum ex lapidibus perpolitis, et inter se mire cohaerentibus compositum. Erat in illud aditus ex meridionali latere, et fenestella patebat: lumine in templum inclinato.

cuniae conficiendae gratia urbibus venalem proponebat libertatem. Hisce exemplis Itali permoti civitates, et oppida adversus comites pagenses sollicitare instituerunt, ut sese in jus quacumque demum ratione vindicarent. Itaque tanta erat inter nos castri Ilciti incolarum hoc tempore petulantia, ut se suosque, non liberorum hominum, sed mancipiorum loco, a monachis Vallifucinae haberi ipsi rati (nam *facultate etiam standi in judiciis pro se et aliis, testamentum faciendi, contractus ineundi minime fruebantur*) permoverunt oppidanos nostros, ut sequestres *manumissionis* sese interponerent, dum jactura etiam bonorum optabilior erat in castro, modo eorum dominatus cessaret. Servile enim hoc jugum ipsi diutius perpessi cum fuissent, ac a Cingulanis auxilium incassum postulassent; quamplures e castro jam recesserant, dum alii a nostris subsidia cum ipsius castri emptione quaerebant.

Consiliorum principes (1) erant Crescionius Gotius, et Ugolinutius Ugolinus de Accorambonis ejusdem castri. Ii cum ad Vivia-

(1) Ex rogitibus Nutii Armanni 1298. die 17. junii.

A. C. num Alliatum civem nostrum cum mandatis
1298 anno 1298 commeassent (1); haud aegre eum impulere ad monacho se castro deturbandos. Et Vivianus quidem pecuniam abunde promiserat nunciis ad ipsorum libertatem parandam, eamque in rem haud contemnendam aureorum vim (2) ab oppidanis nostris impetravit. Rebus hac ratione transactis, Vivianus rem aperuit Manfredo abbati Vallisfucinae, et de ea venditione perficienda astu miro disseruit. Quare ipso anno 1298 abbas castro libertatem (3) asseruit; et *nobilis vir Alebrandutius domini Barthuli e Truscia* (4) coenobitarum curator *cum jurisdictione civili et criminali, cum im-*

(1) Die 23. junii.

(2) Ex actis Nutii Armanni 1298. die 23. junii.

(3) Die 24. junii ann. 1298. *Monachi Vallisfucinae constituerunt Fr. Jacobum magistri Damiani nuncium ad manumissionem Ilcitanorum pro pretio* 2750. *libr. Rav. et Ancon.* — ex tabulario capitulari.

(4) *Actum in ecclesia s. Blasii de Fontecupa districtus Sanctiseverini, praesentibus nob. viro Branca de Bictonio potestate, domino Andrea de Bictonio judice . . . . domino Francisco de Mathilica legum doctore, Philipputio domini Gentilis, Francutio domini Barthuli, Centio domini Franchi de Truxia . . . . domino Joanne domini Gualterii. Ex rogitibus Nutii Armanni* 1298. *die* 25. *junii.*

perio, *et omni potestate* illud Septempedanis his vendidit pactis. *Mille nongentas quinquaginta libras ravennae et anconae* cives nostri penderent: monachos, anathematis decreto inducto, in gratiam reciperent, imo liberam eis facultatem in agros relinquerent: eisdem essent auctores, ut juri in Castro *Gastaldium* retinendi abbas non cederet: sacramentum darent monasterii jura ex Cingulanorum conviciis tutandi: ea omnia, aliaque nisi ex composito praestarent, pecuniarias in poenas irruerent: aliter ea cives, quae, Alebrandutio inconsulto, tractata fuissent, abrogassent, atque irrita esse jussissent. Dum ita Septempedanorum res Vivianus augebat, ejus imperii firmiora veluti fundamenta primus jaciebat, a quo deinceps nostrarum gentium decuriones in *credentiae consilium* cooptati traherent nomen Baronum Ilciti (1).

Haec inter Bonifacius VIII. proficuum christianae reipublicae putans, se pontifice, ea perfici, quae frustra toties in Saracenos tentata fuerant; ad sacram Urbes expeditionem excitare conatu maximo instituebat. Quare ad belli

(1) Gentilius dissert. Septemp. pag. 68.

sumptus decumationem sacerdotiorum clero imperabat, a fidelibus reliquis subsidia postulabat. Dum igitur pecuniam ita coactam cives nostri haud intercipiebant; imo, gliscentibus in dies magis apud Italos dissidiis, Caroli regis filium Robertum Calabriae ducem ex condicto auspiciis infensis evocatum videbant: in hac maxima rerum vastitate, aurique conquisitione ali-
A. C. quid memoratu dignum a Septempedanis fuit
1305 peractum. Nam eos anno 1305 antiquam dioecesim non modice amplificasse, manifesta probatione intelligimus.

Scimus, a saeculo decimo ad decimum tertium, homines Vallis sancti Clementis, genere et armis perinsignes, passim in ipsa valle castra aedificasse; indeque principatum habuisse. Praecipuas inter familias (1) puto has recensendas: Bernabei de Precicle, Boni comitis de Fajetis, Conradi de Accola, Defensoris de Civitella, Attonis de insula Orgalis, omnium militum dominorum Casavollae, Andreae Ugolinii de Montecle domini antiqui castri Pyri, et

(1) Consule chartam chorograph. vallis s. Clementis apud Turchium fol. 39.

Gentilis, aliorumque de Rovellono. Fides, quam modo erga romanos pontifices, modo erga imperatores, multis in rebus tota vallis exhibuerat, tandem illius vallis dynastis funestissima cecidit: nam eos aut imperio exactos, aut rebus haud secundis addictos finitimae urbes delerunt. Quare oppidani nostri, anno desuper relato, ad nobilissimam Rovellonam gentem legatos miserunt, qui conceptis verbis civium mentem de castris Frontalis, et Insulae sancti Clementis acquirendis, ejus imperio adhuc mancipatis, testatam facerent. Et, ut subsecuturae posteritati viveret memoria sempiterna; omne, quod possent, Rovellonis ex animo legati ipsi exhiberent, eosque mutuo, ac perpetuo societatis vinculo devincirent. Re ita composita, Septempedanis castra (1) *cum hominibus et Vassallis . . . . et cum omni jurisdictione* ipsi vendiderunt, civitate (2) no-

---

(1) Ex actis Warnerii Aquilonii ann. 1305. — Gentilius loco cit. — Turchius ibidem.

(2) In albo parochianorum ecclesiae majoris s. Severini exarato anno 1328. ita legitur „ *Filii Tomaxii de Rovellono — Gentilutius de Rovellono — Nicolutius de Rovellono* „.

stra donati. Imo eos in consilium venire, sententiam dicere, magistratum gerere, et in perpetuum eodem esse jure, quo cives, et nobiles sunt, senatus, populusque sancivit, novamque ditionem istam sub praecipuo magistratus dominatu futuram esse censuit.

A. C. Henricus Caesar in Italiam properans obvios
1310 ubique habebat Gibellinos. Proinde Clemens pontifex Ecclesiae praefecturam Roberto regi antea demandatam confirmavit, et hujus se fidei Piceni quoque urbes Guelfarum partium crediderunt, mutuoque sese foedere armarunt. Sed, Henrico vix mortuo, pars Romani Imperii Electorum Ludovicum Bavarum, pars Fridericum Austriacum Caesarem dixerunt. Hinc apud Italos solemniores inter Guelfos, et Gibellinos turbae viguerunt. Horum praecipuus ductor erat Uguccio Fagiola, qui Pisis imperitabat:
A. C. illos Robertus rex tutandos susceperat, et Mat-
1328 thaeus Vicecomes imperialis per Italiam Vicarius a Bavaro constituebatur. Dum ita res etiam nostrae miserrime turbabantur; Smedutius Bavaro alioquin addictissimus ad patriae tyran-
A. C. nidem vocatus, suam protendere jurisdictionem
1352 flagrabat. Quare anno 1352 munitissimam Montis Acuti arcem ipse emit. Quod vero auri

pondus pro ea Lippus e comite (1) a Smedutio habuisset, quidve cum eo ipse hac venditione statuisset, non satis constat. Ex iis tamen, quae postea sequuta sunt, conjicere haud aegre possumus, illud arcis imperium suis cum juribus a Smedutiis receptum in dioecesis nostrae utilitatem cessisse.

Quamplures hoc tempore Italiae dynastae A. C.
Joannis Vicecomitis antistitis mediolanensis, 1354
quem suo loco diximus foedus cum Smedutio percussisse, potentiam plus aequo auctam jure sibi metuentes, mutuis sese vinculis obstrinxerunt. Sed neque se tutos satis arbitrantes Carolum Caesarem in Italiam evocarunt, donec A. C.
tandem, mortuo Joanne, pax fuit composita. 1367
Tum Urbanus V. Avenione solvens Massiliam fuit delatus, Genuam perrexit, Viterbii substitit, ubi, exacto nondum mense, diem obiit extremum Ægydius Carilla Albernotius Cardinalis, qui iter Smedutio ac civibus nostris, ut jurisdictionis proferrent limites, aperuerat. Ast longioris apud Italos morae pontifex pertae- A. C.
sus Avenionem paulo post reversus fuit, rela- 1370

(1) Ex lib. Brev. servat. in tabul. pub.

tae in Italiam Romanae Sedis decus alteri relinquens.

Florentini haec inter, supplicio de Pratensibus sumpto, quod occulta colloquia cum apostolico Legato habuisse, et defectionis agitasse consilia dicerentur; anathemati ab eodem Legato subjecti sunt. Quamobrem mirum in modum exacerbati memorabile facinus edidere, populos ad defectionem a pontifice invitantes. Mox omnem lapidem ipsi moverunt, ut Bartholomaeus Smedutius supremus cohortium dux crearetur, plebiscitis plurimis in Romanam Ecclesiam etiam inter nos sancitis, ecclesiarumque reditibus fisco addictis. Hujusmodi tamen facinora excusare apud Pontificem Septempedani non erubuerunt, legatis ad eum missis; et Bartholomaeus tandem in Ecclesiae fidem receptus dioecesim nostram examplificavit (1)
A. C. Carpignani castri accessione. Multa hinc inde
1390 verba data, multae significationes mutuae caritatis; donec Bonifacius IX. Ladislaum regem omni ope tueri instituit, et pro imperio eidem asserendo Aucutus, Albericus, et Buldrinus summi duces evocati sunt. Horum ultimus Pa-

(1) Turchius loco cit.

nicali, agri Perusini oppidi non longe a Thrasymeno dissiti, patre agricola natus, ea tum manebat apud exteros fama, et apud suos gratia, benevolentiaque, ut, quidquid tentandum gerendumque esset, felici ut plurimum eventu ei accidisset. Huic non sine maxima patriae dominationis jactura castrum Ficani (1) Bartholomaeus vendiderat, quod postea in Smedutiorum rediit imperium.

Sed populorum in Marchia Anconitana jam voces passim audiebantur Andreae Thomacellii dominatum aversantes; et, pace hoc tempore inter Italiae principes, atque respublicas com- A. C.
posita, qui pro iis milites, ac duces stipendia 1393
fecerant, dimissi coiere simul, raptoque vivere cum decrevissent, Etruriam, Æmiliam, atque Picenum habebant infestum. Horum praecipuus dux Biordus Michelottus Perusinus (quem Bonifacius, ut demereret, et a praedandi licentia deterreret, Perusiae, Tuderti; atque Urbisveteris pro Romana Ecclesia vicarium jam constituerat) favore Picentum dynastarum fere omnium elatus, haud ultra cunctandum ratus, Pontificis fratrem Piceni recto-

(1) Idem ibidem pag. 38.

rem bello petere instituit. Itaque oppida (1) complura, ipsumque rectorem intercepit, et dynastarum conventum ad certam diem indixit. Convenere Anconitani, Firmani, Asculani, Gentiles e Camerino et Rodulphus filius, Vido e Chiavellis e Fabriano et Clavellus filius, Sciarra et nepotes de Simonettis ab Aesio, Vido et fratres e Mathilica, Benutinus Cima e Cingulo et Joannes filius, aeque ac (2) Honuphrius, Robertus, et Antonius Honuphrii Smedutii. Nec mora, mutuum foedus fuit percussum; Biordus Ecclesiae injuria dux supremus renunciatus, novaque ad eum post annum confirmandum comitia indicta.

Ast si Smedutiorum gentes ita in dioecesim nostram tyrannidem exercebant, jura quo-
A. C. modocumque asserentes; jam inter pontificios
1416 duces erat Brachius, cujus ope Etruriae, Umbriae, et Piceni urbes in fidem reversae permanebant, Ladislao rege frustra obnitente. Et quamvis deinde Martinus V. Ecclesiae dominatus cladem summa quidem diligentia averte-

(1) Ciacconius in Bonifacium.

(2) Ex tabulario capitulari in libro inscript — Honores. —

ret; ubi tamen Gabriel Condulmerius pontificatu inauguratus est, et Eugenius IV. appellari voluit; Philippus Vicecomes, Italiae res A. C.
iterum adortus est, Nicolao in primis Forte- 1431
brachio a Pontifice abstracto, et Francisco Sfortia in Picenum immisso. Utrique duci prona omnia fuere, certatim urbibus ab Eugenio rebellantibus. Quae rixae, quae caedes apud nostros tum recruduissent, ingratum esset referre. Satis sit dicere, cives ad pontificem supplices accitos, pauca sua de fortuna disseruisse: patria quandoque pulsos diu in aerumnis vitam egisse: licet a Smedutiis, ac Sfortianis deceptos in fidem semper rediisse: quamdiu in pontificum fuissent potestate, se nihil contra molitos, eosdem se belli socios, eosdem amicos, aut hostes habuisse, quos pontifices jussissent: quae quanto majora essent, tanto se acerbius indoluisse, quod divinae in eos imprecationes essent publicatae, et cives congressu hominum, ac sermone prohibiti: sub pontificum imperio natos, sub eodem adolevisse. Haec cum nostri perorassent, pontifex humanissime illos com- A. C.
plexus est, honoribus cumulavit, et castrum (1) 1444

(1) Turchius loco cit. pag. 38.

Ficani eis dono addixit, quod in Ecclesiae jus obvenerat, ex quo Martinus V. Smedutios deturbaverat.

Ita civili pervetustae dioecesis comitatu in civium imperium reverso, imo mirifice adaucto (nam dioeceses siquidem antiquissimae, priusquam a barbaris essent eversae, erant angustiores, neque idcirco Septempedanus episcopus per loca tam remota poterat suum proferre dominatum) nil mirum, si in cathedrae instauratione nova Dioecesis nostra in temporali civium jurisdictione universa fuerit constituta, et si modo ipsa priscos ultra limites percurrat juxta dioeceses, quas conterminas habet Fabriani, Camerini, Trejae, Cinguli, Maceratae, et Tolentini Caetera adnotaturi sumus in capitibus subsequentibus (1).

(1) In dioecesi sexdecim millia capita numerantur. Castra unum supra decem, pagos sexdecim complectitur. In eorum unoquoque agro alia extant infirmiora loca, sed singula singulis parochiis ferme ditata, peculiari alicubi frumentario monte in pauperum subsidium erecto, et jurisdictionali mixtura, quae ab antiquissimis inter animarum curatores invaluerat temporibus, ab episcopo Ranghiascio abrogata. — Consule librum visitationis ann. 1824.

IV.

De Canonicorum collegio, et Templo maximo.

De christianae religionis initiis, de cathedra episcopali, deqne dioecesi satis est disputatum. Sequitur, ut doceam, quae origo, quaeque priscis ecclesiae saeculis clericorum in communi vitam agentium, et Canonicorum deinceps, ac templi principis ratio fuerit. Sed, ut mihi viam parem ad hasce res omnes explicandas, injucundum forsan non erit, nonnulla tota in oratione proferre ex civili, et ecclesiastica historia petita, et ea rebus cum nostris devincire. Quod si hoc genus observantiae meae in universum canonicorum ordinem laeto animo exceptum ab eis esse cognovero; arbitrabor, et laborum fructum me tulisse, et eorum nomen, quod caput praefert, mihi, capitique ipsi decori, et ornamento futurum.

Postquam accurata sacrorum administratio instituta fuit, et proscriptorum bona (1)

(1) Eusebius lib. 2. cap. 19. lib. 10. cap. 1. et 7.

consanguineis, aut ecclesiis adjudicata; illud in more positum est, ut episcopus (1) cum ecclesiae suae clericis vitam ageret. Eusebius episcopus Vercellensis, qui saeculo quarto floruit, clericos *secum intra unius septum habitaculo congregavit* (2). Sed, dum ita prima veluti fundamenta instituti tam sancti Eusebius in Italia jaciebat, ex quo forsan Augustinus regularis vitae (3) exemplum duxit; Valens Gothico bello perfunctus diram in catholicos antistites paulo post persecutionem excitabat, clericis monachisque ad (4) militiam vocatis. Hinc normam ab Eusebio institutam passim interceptam vidit Italia; et Ambrosius proxime moriturus miserandum Ecclesiae excidium comprobavit. Nam Alaricus urbem obsidet: Attila sponte ex

(1) Muratorius dissert. 62.

(2) Muratorius Vol. 4. anec. latin. — In sermonibus 7. et 9. de sancto Eusebio, auctore forsan divo Maximo episcopo taurinense — *Ut universo clero suo spiritualium institutionum speculum caeleste praeberet; omnes clericos secum intra unius septum habitaculo congregavit, ut, quorum erat unum, atque indivisum in religione propositum, fieret vita, victusque communis, quatenus in illa sanctissima societate vivendo invicem sibi essent conversationis suae judices, et custodes.*

(3) Muratorius dissert. cit.

(4) Lib. 63. de decur. C. Th. et C. Just. lib. 26.

oriente procedens copias in Italiam convertit: Gensericus romana praeda onustus repetit Africam: et a medio saeculo quinto desiit, in Piceno praesertim, Eusebii institutum, illudque invectum, ut episcopus, et clerici Ecclesiae reditus inter se partirentur. In quem vero deterrimum statum ex haeresum propagatione, saeculi sexti initio, hujus provinciae Ecclesiae essent prolapsae; nulli incompertae esse possunt Romanorum Pontificum literae dolentissimae. Neque eximendam esse puto Septempedanam. Ex actis enim sancti Severini a Bullandianis (1) vulgatis intelligo, qua illius clerici in communi vitam agentes socordia, ne quid dicam inclementius, laborarent, quosque tamen vir ille sanctissimus *ad integritatem reduxit.* Patet igitur, saeculo sexto, ni prius, hujusmodi clericorum collegia apud nostros viguisse. Neque putandum, a Gothis in Piceni civitatibus omnia ita eversa fuisse, ut urbes, ecclesiae, et clericorum collegia deserta deberent in suis jacere ruderibus, nec denuo, si non ibi, alibi saltem caput attollere. Certe ecclesia Septem-

(1) Bullan. act. sanctorum.

pedana, in quam ea maxime procella saevierat, in vertice Montis Nigri tantisper caepit assurgere. Quo tamen aevo ante diploma Ugonis episcopi Camerinensis, infra recensendum, canonicorum ordo esset ibi constitutus, non patet. Monumenta enim, et tabulae hujus ecclesiae ad majorem antiquitatem non assurgunt.

Sed ubi Ludovicus Pius paternam, avitamque in Romanam Ecclesiam donationem sancivit, ac synodi Aquisgranae patrum, aulaeque procerum manu subscriptum diploma Paschali Pontifici transmisit; jam ita laetiores dies Septempedanis obvenerant, ut oppidum ipsum habitatoribus auctum, et, novis aedificiis ad populi multitudinem excipiendam extra pomerium ad montis radices excitatis, non modice extitisset amplificatum. Minime igitur civium reprehensionem incurram, si non ante saeculum nonum penes oppidum jam satis illustre originem canonicorum ecclesiae Septempedanae repetendam teneam. Et quidem norunt eruditi, per ea tempora tum Romanos Pontifices, tum Imperatores ipsos pro virili incubuisse in id, ut clericorum institutum, longo veluti postliminio, ex barbarorum immanitate revocarent. Idem Ludovicus, ut de Caroli ma-

gni hac in re pietate sileamus, auctor fuit A. C.
patribus Concilii Aquisgranensis anno 816, ut 816
in Gallia, Italiaque (1) id perficerent; et an- A. C.
no 819 rescripsit - *de locis dandis ad clau-* 819
stra canonicorum facienda, si terra de ejusdem (2) *ecclesiae rebus fuerit, reddatur; si de alterius ecclesia, vel liberorum hominum, commutetur; si autem de fisco nostro fuerit, nostra liberalitate concedatur.* - Hinc non modo apud cathedrales, sed apud alias etiam ecclesias, imo et apud suburbanas passim in Italia erecta fuisse clericorum collegia nemo quidem ignorat, episcopis certatim praedia, decimasque tradentibus (3).

Commendatissimum ejusmodi institutum tota in Italia saeculo decimo, et undecimo

(1) Balutius. *Operae pretium duxere patres Concilii Aquisgranensis regulam canonicorum, et canonicarum congerere, et canonicis, vel sanctimonialibus servandam contradere, ut per eam canonicus ordo absque ambiguitate posset servari.*

(2) Muratorius dissert. 62.

(3) Ughellius in charta Adelberti episcopi Bergomensis. Clericorum collegiis episcopi praedia, et decimas tradebant, *ut cum officium ipsi compleverint, opportune ad reficiendum cibum, et potum acciperent, et in nocturnis horis, ibidem dormiendo, nocturnis officiis facilius occurrerent.*

A. C. summopere quoque floruisse, causae quidem
962 sunt ut credamus. Nam Otho magnus Romam profectus, Pipini, Caroli, ac Ludovici donationes ratas habebat, et per Italiam semel et iterum discurrens ecclesias mirum in modum ditabat. Otho II. e Graecorum manibus elapsus regiam gazam in ecclesias dividendam legabat.
A. C. Rebus ex animi sententia in urbe pacatis; Otho
1000 III. Augustus a Gregorio appellabatur. Erectis ubique templis, indictam a Romualdo peregrinationem (1) ad Garganum montem ipse pedes instituebat. Tandem Henricus II. cum Cunegunda conjuge Augusti nomine Romae a Benedicto decoratus in Pontificem liberalis erat, et universas pene totius Italiae ecclesias muni-
A. C. ficentiae suae participes declarabat. Adde, quod
1006 circa annum 1006 fixerat Romualdus in Valle Castri primam stationem, ut docti (2) Camaldulenses conjiciunt; et jam in dioecesi Camerinensi laboraverat (3) *vir sanctus circa plures canonicos, et clericos .... communiter in congregatione* viventes. Nunc optimus quisque

(1) Surius 19. Jun.
(2) Ann. tom. 1. lib. 7. num. 45.
(3) Acta s. Rom. cap. 35.

sibi facile persuadet, Romualdum et fines nostros hac de re ingressum fuisse. Dum haec nos proferimus argumenta ad veritatem assequendam probabiliter opportuna; dubium non est, quin sanctus Petrus Damianus, qui ex hominum frequentia ad solitudinem avolabat, seque desertis locis abdebat, in specubus, aut cellulis perangustis delitescens, in canonicos nostros sollicitudinem omnem suo ex more deflecteret. De acerba enim illa poenitentium vita, qua graviorum criminum rei exercebantur viri, auctor ipse erat inter nos *in illa eremo*, A. C.
quam, auctore Deo, in latere Suavicini mon- 1049
tis construxit; uti est legere in opusculo decimoquinto ejusdem Damiani, et in ejus vita a Joanne Laudense conscripta; utque fusius erit sermo in secunda hujus operis parte.

Haec inter pravis domesticorum consiliis Henricus IV. depravatus, sacerdotia, ac munera ecclesiastica canonicorum, abbatum, episcoporum pessimo exemplo habuit venalia. Quae semina ingentium certaminum fuere inter Pontificem, Caesaremque. Nam majori avaritia captus, rescissis imperatorum actis, opima coenobiorum, et canonicorum praedia asseclis suis donavit, decumasque a sacerdotibus exegit.

Et si ab Alexandro II. Romam ad causam di-
A. C. cendam citatus minime resipuit; tamen, sub
1061 tanta sacrarum rerum eversione, anno 1061 auspicatius quidem inter nos templum hoc maximum, sub Deiparae, ac Severini episcopi tutelari numine, restitui Hugo episcopus Camerinensis curavit. Ipsi integram adtribuit paraeciam a flumine Potentiae (1) usque ad viam collis, et ab hac usque ad rivum, et spinetum cum prohibitione excitandi infra limites ecclesiam sine consensu *sacerdotum*, qui erant ordinati in ipsa ecclesia sancti Severini. En itaque sacerdotes jam publice divinis officiis addicti, quibus *omnibus* juxta templum *unum* erat *refectorium* (2) ac *dormitorium*, animarum curatores constituti; quo munere et nunc funguntur canonici *veteris capituli* nuncupati.

Dum Henrici majestas ita nefariis flagitiis exsolescebat; Robertus Viscardus imperatoriis officiis jam fungebatur, Normannorum opibus mirifice adauctus, et Caesare a Conrado Mathildis filio Longobardiae regno exuto. Haec res

---

(1) Turchius Cam sacr. app. fol. 22.

(2) Ex decreto conc. rom. habiti sub Eugenio II. an. 826. cap. 7.

non modo Italiae otium, sed etiam Hierosolymae libertatem peperit. Nam Romanus Pontifex Gothophredum e Lotharingia gente ducem Bullionis, Hugonem magnum Philippi Franci regis fratrem, Robertum Normanniae ducem, Boemundum Tarentinum principem cum Tancredo, et Anselmo Mediolani episcopo, aliisque, ad sacrum bellum statim accendit, et Hierosolyma vi capta est anno post Cristum natum A. C.
circiter 1100. Dum haec agebantur, Ecclesiae 1100
rebus summa pace fruentibus, canonicis tota in Italia mos jam erat quamplures alendi adolescentulos templis oblatos, qui in sacro ordine, id est canonicali disciplina instituerentur. Quod alicujus conjecturae, nisi certitudinis loco, mihi esse potest, et apud nos, uti infra patebit, ejusmodi vivendi consuetudinem floruisse, eoque magis postquam Henricus V. anathematis ignominia exemptus bona fide cum Callisto II. rediit in gratiam[1].

Caeterum superbia, et cupido dominandi haud multo post turbavit Ecclesiam. Certatim cives ab Innocentio II. desciscunt, sola sacrorum procuratione Pontifici relicta. Sed eorum vanitas a Conrado III. irrisa fuit, legatioque repudiata; et Eugenius III. fatuos eorum spi-

ritus fregit. Vix hoc malo depulso, atrox ex parvis initiis inter Fridericum Aenobarbum, et Pontificem orta est dissensio, ingentium malorum causa, et origo. Innumeris tamen cladibus fra-
A. C. ctus Fridericus pacem expetere compulsus est,
1177 quae anno 1177 Venetiis peracta fuit. Ex diplomate vero eodem anno III. nonas decembris (1) *in comitatu Auximano* obsignato patet, Fridericum ab armis, atque in Alexandrum III. Pontificem impressionibus minime abstinuisse. Ipse enim *ecclesiam sancti Severini cum omnibus suis pertinentiis*, *et nominatim ecclesiam sancti Nicolai in Monte acuto*, *et priorem Albertum cum omnibus personis inibi Deo famulantibus sub . . . protectionis speciale patrocinium* suscepit, statuitque, *nec marchio*, *nec comes*, *nec consul eamdem ecclesiam*, *vel ejus priorem*, *aut fratres praesumerent molestare*. Iis in literis, etsi canonici nostri *fratres* appellentur, cave tamen, si me audis, ne de regulari capitulo ibi sermonem haberi suspiceris. Vocem *fratres* antiqui scriptores saepissi-

(1) Marangonius in hist. civ. nov. lib. 3.

me usurparunt ad eos sacerdotes (1), clericosve denotandos, qui inter se quadam sacrorum societate eadem in domo, et communi mensa, monachorum usu, tenebantur. Qui vero canonicorum regulam (2) tum profiteri exoptabant, Deo, et Ecclesiae, coenobitarum more, sus mobilia, et immobilia jura offerebant (3).

At si Alexander antequam discederet, Venetis gratiam testatus, singularia jura multa concedebat; quo studio etiam Fridericus teneretur, ut ecclesiae nostrae omnia feliciter evenirent, ab altero cognoscitur diplomate, quod illorum temporum conditio poscere maxime videbatur. Hoc sane erga canonicos voluntatis locupletissimus esse testis potest. Nam Fridericus *ecclesiae sancti Severini praedium de Cesano* contulit, et mandavit, ne quis ea ex re quidquam capere, habereque apud se auderet, praeter canonicos, quos ipse ejus rei curatores esse jussit. In literis datis apud As-

(1) In quadam bulla Caelestini III. lata anno 1195., et a Muratorio evulgata. — *Petro praeposito ecclesiae s. Georgii de Ganaceto, ejus fratribus canonicis.* —

(2) P. Mattena de antiq. Monac. ritib. lib. 2. cap. 2.

(3) Muratorius dissert. 67.

sisium anno 1177 XIIII. kalendas januarii (1) testes sunt adhibiti Conradus Svevus, comes Assisii, Petrinus et Offrodicius consules nostri. Sed earum, quas ad canonicos proximis diebus Fridericus dederat literas, quibus certiores eos faciebat, se causas eorum omnes diligenter fovere; statim syngrapham Alexandro capitulum misit, atque ab eo postulavit, statueret, jura esse confirmanda, hominesque ab omni offensionum genere continendos. Ita reapse nos
A. C. Pontificem accepimus gessisse cum diplomate (2)
1178 lato *Tusculi* anno 1178. XIII. kalendas februarii, nixumque esse, ut nihil eorum, quae ad tuenda jura opportuna fuissent, praetermitteretur. Voluit, ut ecclesiae *s. Venantii*, *s. Abundii cum decimis*, *s. Martini*, *s. Mariae de saxo*, *s. Blasii*, *s. Severini de ponte*, *s. Mariae de castellonovo*, *s. Helenae*, *s. Angeli*, *s. Salvatoris sub monte*, *s. Bartholomaei*... cum juribus suis omnibus *Alberto* priori ejusque *fratribus*, etiam futuris, confirmarentur. Mandavit insuper omnibus ea lege, quae de

(1) Turchius in app. fol. 29.
(2) Idem ibidem fol. 30.

majestate est, ne illis ulla in re offensam praeberent, nec quidquid aggredi, et tentare in agro de *Cesano* auderent, aliudque, quod eis detrimento esse posset.

Dissidentibus a Lucio III. Alexandri successore Romanis, decessorum exemplo ipse discessit, et Veronam se contulit, ubi mortuus est anno 1185. Ejus in locum suffectus fuit Urbanus III., qui, nondum sedatis Romae turbis, substitit pariter Veronae, ex qua canonicis ecclesiae nostrae solidavit singularia jura multa de ecclesiis, specialiter *s. Severini de valle Mathilicae*. Quam sententiam suam suis cum literis datis anno 1186. V. kalendas maii perhumaniter (1) denunciavit. Mox ad colloquium veniens cum Friderico, multa graviter Pontifex conquestus est. Commotus ad haec imperator cohibuit sese, ut Urbanum pelliceret ad coronam imperii imponendam Henrico filio suo. Ast Urbanus secutus exemplum Alexandri III. id facere constanter recusavit, nisi prius ipse sese imperio abdicaret. Quaecumque

A. C. 1185

A. C. 1186

(1) Ex tabulario ecclesiae majoris Sanctiseverini, et ex lib. mss. Bernardini Crivellii, de quo in nota 1. capitis secundi, pag. 183.

tamen ad Gargani prioris, aliorumque *in canonica s. Severini* Deo famulantium incolumitatem pertinebant, in iis capitulo nunquam se
A. C. defuturum testatus fuit idem Henricus cum di-
1187 plomate lato *apud Fulginium* anno 1187 XVI. kalendas februarii, neque illud laedi a quoquam se passurum, irrogata quamplurium nummorum aureorum, partim fisco, partim ecclesiae inferendorum, mulcta (1).

Interim Clemens III. Summo Sacerdotio praeficitur, tenuitque demum, ut Arnaldistae ad Ecclesiae obsequium redirent. Sed jam Henricus a Pontifice appellatus Augustus Aenobarbo patre truculentior erat. Nam rex Siciliae vix salutatus, repente e rege tyrannus extitit, et ditionem pontificiam pene omnem in suam redegit potestatem. Dum igitur per calumnias, et supplicia omnium bona diripiebantur; Caelestinus III. ad Ecclesiae jura tutanda studium adhibebat. Quod, tametsi existimaret, canonicos nostros per se ipsos satis esse facturos; voluit ea de re (2) literas ad illos dare anno 1197 V.

(1) Ex eodem tabulario, et loco.
(2) Turchius in app. fol. 42.

idus septembris, ut magis etiam de sua voluntate certiores faceret, cum id a Pontifice intellexissent. Quare jussit, ut sic fieret, quemadmodum Garganus prior consulebat, id est, ut capitulo integra servarentur jura, quae Romani Pontifices, Imperatoresque ei adtribui mandaverant etiam super ecclesias *s. Venantii de Cesulo*, *s. Angeli de Folenano*, *s. Nicolai de Submonte*, *s. Bartholomaei de Paliolito*, *et s. Stephani de Septempeda.* Reliquum diplomatis erat, ut, canonicos sibi esse charissimos, facile quisque putaret.

Anno insequenti plorans, ac renitens consecratur Pontifex Innocentius III., qui, mortuo Henrico, Aemiliam, Umbriam, Picenum armis recepit. A. C.
Ipse anno 1199. VI. idus maii 1190
suis cum literis datis Laterani (1) praecipuo amore suscepit jura capituli nostri, et magis magisque sua in illud officia exaugere valde concupivit. Quibus de rebus omnibus multo fuit latius in diplomate locutus; eique voluit singula confirmare ab antecessoribus elargita, etiam de ecclesiis *s. Luciae de Paterno*, *et s.*

---

(1) Idem ibidem fol. 48.

Mariae de Cerreto cum conditionibus adjectis, ut in antecessum, *ne sine canonicorum assensu . . . . in ecclesia clericus ordinaretur, neve, obeunte Priore, nullus ibi praeponeretur, nisi quem Fratres . . . . providissent eligendum.*

Haud multo post, disceptantibus de imperio Philippo Svevo, atque Othone Saxoniae duce, Innocentius III. causam adjudicavit Othoni IV., eidemque post Philippi mortem imperii insi-
A. C. gnia imposuit. Ast ei minime in pactione ma-
1209 nenti in Concilio Romae habito anno 1209 imperium est abrogatum, atque ignominia anathematis addita. Tum Albertus prior, ut homines strenuos sibi devinciret hisce novis in rebus; *Albrico comiti, et Nappo*, viris et pro-
A. C. bis et fortibus, apud nostros commodari an-
1210 no 1210 die 9. aprilis de domo (1) in *Colleluce* summopere optavit, ut illos in omnibus vindices capitulum experiretur. Sed Germani proceres, Pontificis auctoritatem secuti, Fridericum II. regem Siciliae jam Caesarem creant; et hinc certior sum factus, Othonem ipsum ad oppidum nostrum cum armatorum manu

(1) Ex tabulario capitulari.

se contulisse, (1) ex diplomate dato apud Sanctum Severinum anno 1211 die 8 novembris. In eo, quae fortunas, et dignitatem canonicorum ornare atque augere possent, ea liberaliter imperator complexus est. Imo curavit, ut eorum jura a quacumque offensa essent tuta. A. C. 1211

Ægre sane legimus anno 1213., Attonem episcopum Camerinensem canonicos provocasse *ad tertiam partem oblationum altaris s. Severini . . . . decimae . . . . et mortuarii* sibi persolvendam, et voluisse *ordinationi canonicorum, ut in aliis sui episcopatus, interesse.* Cum perspecta canonicis tum esset Severini Ugolinii Alti prioris virtus; eum ad episcopum misere, a quo consilia, mentemque omnem capituli in tractandis rebus episcopus intelligeret. Quare ab Attone Prior ipse petivit, ut Magalottio, et Paganellio judicibus totum negotium adduceretur. Et ipsi ex composito mandarunt, ut *episcopus confirmaret*, quem prior, et canonici in ecclesia s. Severini eligerent, *sine gravamine:* ut decimas ex Hugonis, Todini, et Acceptantis episcoporum diplomatibus obvenientes antistes non peteret: ut *de mortuariis quod-*

(1) Marangonius loco cit. lib. 3.

cumque praeceptum episcopus faceret priori et canonicis, ipsi deberent observare. Sunt ea de re tabulae obsignatae anno recensito, et satis prolixae in tabulario ecclesiae nostrae (1).

Haec inter Brennus Romam advectus, Honorio III. auctore, Jolem filiam suam, Hierosolymae reginam appellatam, Friderico Augusti nomine jam honestato in matrimonium dabat, ut dotali sacri regni titulo auctus majori animo sacrum capesseret bellum. Sed frustra institit Pontifex, ut fidem exsolveret de expeditione suscipienda in Palestinam. Quare ubi Gregorius IX. fuit Pontifex consecratus; Fridericum admonuit, ut, quae voverat, tandem susciperet, et adhuc tergiversantem mulctavit anathemate. Itaque Raynaldus ejus vicarius patrimonium Ecclesiae violenter invasit. Neque tamen minus eluxit rebus in nostris cura Pontificis. Nam diplomata Alexandri, Clementis, Cae-
A. C. lestini, Innocentii, et Honorii in unum provi-
1228 dit (2) redigenda, et anno 1228 idibus augusti sub datum Perusiae mandavit, ne quid

(1) Turchius fol. 176.

(2) Ex tabulario capitulari.

posthac ab infensis hominibus detrimenti capitulo inferretur. Neque solum Barthulum priorem, et canonicos, universamque domum suam in fidem recepit, sed omnibus etiam in rebus, quae ad canonicorum dignitatem *in toto territorio, et hominibus, quos ipsi habebant in curia Palioliti*, pertinerent, pontificiam nullo tempore voluntatem illis defuturam significavit. Interim majore fama, quam gloria Fridericus e Syria revectus haud aegre veniam a Pontifice, et imperii titulos impetrabat. Nec minus elucebat rebus in nostris amor nobilis viri Leonardi, seu Servantii Radivisii, quem Maceratenses inter (1) selectissimos viros, coetumque splendidissimum vicariorum cooptave- A. C.
rant anno 1235. Sed brevi imperator ad in- 1235
genium rediit, et Ecclesiae infensus Guelforum, Gibellinorumque factionibus foedum in modum laceravit Italiam.

Mortuo Friderico, et Conrado IV. imperium affectante fidelium communione ejecto; Summus Ecclesiae Praeses constitutus fuit Alexander IV. Concordiam provinciae nostrae ipse peroptans suum ad eam rectorem misit Anni-

(1) Compagnon. reg. pic. lib. 2. pag. 101.

baldum Trasamundi, acturum de integris ecclesiae juribus immaniter direptis a Piercivalle de Orio, qui vicarium generalem Italiae pro Manfredo gerebat. Ad ipsius Alexandri aures pervenerat, Potestatem nostrum canonicis, alisque ecclesiasticis viris, nova inusitataque onera imposuisse. Quae cum ejusmodi essent, ut Pontifici ferenda non viderentur; misit in

A. C. oppidum episcopum Nucerinum. Mandaverat ei

1257 suis cum literis (1) datis Laterani anno 1257 V. nonas martii, ut auxilio suo capitulo praesto esset, omnemque operam adhiberet, quo Potestas celerius jussa Pontificis conficere posset. Sin aliter oppidum hac in re gessisset, exploratum ei esse voluit Alexander, eam se rem non laturum.

Sed adhuc tempora erant infensissima, et nonnisi magna cum molestia percipere debuerant Romani Pontifices, ab improbo scelestoque Manfredo in Marchia Anconitana, et Aemilia admitti quotidie insolens aliquid. Quare Carolum Andegavensem comitem utriusque Siciliae regem Romae inaugurari jussit Clemens IV. Mox gratulatus est ei ob victoriam de Manfredo, pa-

(1) Ex archivio capitulari.

cemque continuo Ecclesiae donatam, tyrannide omnino depulsa. Antequam vero postrema haec transigerentur, allatum ad Pontificem fuit, Perusiae adhuc morantem, canonicos in Crucigerorum jura ecclesiam sancti Severini de ponte cessisse, et cum eis quorumdam bonorum permutationem iniisse. Et quoniam ipse amabat A. C.
utrosque, suis (1) cum literis datis anno 1265 1265
existimare illos plane voluit, quae ad contractus firmitatem pertinerent, ea Pontificem rata semper habiturum.

Quamvis Pontifices inde secuti operam dedissent factionibus Guelforum, ac Gibellinorum extinguendis; tamen bella intensius recruduere. Et cum nollet alter alteri concedere; litem dirimere in Marchia Anconitana Rambaldus comes Trevisi, Pontificis militum ductor, A. C.
cupivit. Sed Paulus Ursinus in armis plus 1308
spei, quam in aequitate rerum reponens, vi quam jure in Romanam Sedem agere maluit. Hac de re tota Carolum Siciliae regem Pontifex magnopere est hortatus, mitteret viros suis cum militibus, ne quid ex Romanae Ecclesiae juribus ulterius in Marchia deperiret.

(1) Ex eodem loco.

Mandavit insuper Stephano Columnae, omni studio curaret, ut animorum motus reprimerentur. Ipse vero nec de oppido nostro conqueri, nec in illud gravius aliquid decernere coactus fuit, ope semper adjutus (1) Malpilii e Pitino, Nicolutii domini Raynaldi, Thomae Thomasutii, et Maronis Alberti, (2) militum sane strenuorum. Sed quo in loco canonicorum tunc essent res propter eorum audaciam, qui collectis exercitibus omnia permiscere aggrediebantur, ex iis, quae dicemus, innotescet.

Lugduni Pontifex creatur Jacobus de Ensa, qui Joannem XXII. se voluit appellari, et armis crucesignatorum Picenum compescere duxit. Tum, ne aliquid excitari ipse audiret inter nos, edicta gravissima proponebant Gabutius, et Smedutius fratres, operamque dabant armatorum manu, ut omnes Pontificem timerent.

A. C. Quare Joannes (3) suo cum diplomate dato
1321 Avenione anno 1321 VII. kalendas januarii

(1) In albo parochianorum ecclesiae majoris scripto sub anno 1328. ita — *Dominus Jacobus de Pitino — Filii Malpilii de Pitino.* —

(2) Ex lib. cons. s. Sev. fol. 166. 178. et 200.

(3) Ex tabulario capitulari.

eos summopere commendavit. Ad rectorem Marchiae Anconitanae diligenter scriptas literas dedit, ut ea cum ipsis communicaret, quae conducere ad utriusque commodum viderentur in *Batefulli*, et Sanctiseverini defensione. Utinam ipsi semper Ecclesiae partes secuti essent! Nam plurima cum bellis mala conjuncta fue- A. C.
runt anno 1336, in quo Lambertinus Lutius 1336
magistratum nostrum (1) strenue gerebat. Cruentari gladios, vastari provincias, oppida dirui, exerceri inter cives acerbas simultates, non solum reipublicae periculosum erat, sed ne illis quidem, qui ea exercebant, non triste, non miserum, non fugiendum. Idcirco canonicorum sancti Severini census fuit absumptus. Quod cum Gualtherio Saxolinio priori, ac canonicis permolestum foret; voluerunt ipsi, ut, quod novissime pro ecclesiae incremento statuere esse faciendum, id etiam suis literis confirmaret Franciscus episcopus Camerinensis, A. C.
qui anno 1349 die 20 Februarii in mandatis 1349
dedit, quod *in ecclesia sancti Severini* dein-

(1) Ex lib. decr. cons. fol. 124.

ceps *esset numerus octo canonicorum tantum, et unius prioris* (1).

Initio pontificatus Benedictus XII. nihil magis optaverat, quam ut Ludovici Bavari contumaciam frangeret lenitate. Haec tamen fato nescio quo frustrata fuit. Quare execrationes redintegraverat ab decessore suo latas in eum tamquam usurpatorem imperii. Ludovicus Italiae res permiscere iterum censuit, et novas in Marchia Anconitana moliri res, quae mirum
A. C. in damnum etiam capituli nostri exciderunt.
1353 Sed Innocentius VI. Romanae Ecclesiae ditionem, qua armis, qua armorum metu, intra quinquennium ab usurpatoribus vindicavit. Valde tum Giojoso episcopo Camerinensi ea omnia fuerunt probata, quae ad canonicorum quie-
A. C. tem spectantia per Gualtherium Priorem ad
1358 eum ipsi perferre voluerunt. Hinc anno 1358 die 8 novembris suis cum literis ipse voluit, ut sic fieret, quemadmodum Hugo primum, mox Franciscus consuluerant, id est, ut canonicis (2) integra in paraeciis servarentur jura.

---

(1) Ex actis Gentilis magistri Gentilis de Camerino penes tab. cap.

(2) Ex archivio capitulari.

Sed ne studia Smedutiorum in patriae dominatu versantium ulla ex parte a canonicis desiderarentur; benignitatem, non acerbitatem naturae, liberalitatem, non potentiam in eos exercuit Petrus Stephani Smedutii. Ipse anno A. C.
1384 die 23 januarii dedit operam, ut cano- 1384
nicos bonis, quae habebat in *castro Lauri comitatus* Firmani, ornatos redderet. Fuit id, et ecclesiae nomine, quae praecipue sublevanda erat, sane pium, et capitulo apprime gratum. Extant in tabulario nostro chartae, in quibus a Dominico Cicco Priore jura ipsa Nicolao Raynerii commendantur, ut res quam celerrime transigeretur. Nam canonici anno superiori, ut fortunarum jacturae consulere possent, ad Benedictum episcopum Camerinensem miserant Priorem, ut causam apud eum tueretur de capitularium numero in arctum compellendo, *in Priorem* scilicet, *sex canonicos, quatuor praebendatos*, *et quatuor cappellanos*. Episcopus cum per se ipse, tum Prioris commendatione adductus fuit, uti omnia diligenter confirmaret anno 1383 die 10 novembris (1).

Urbanus VI. ubi fato cessit, successor

(1) Ex eodem loco.

ei datus fuit Bonifacius hujus nominis IX. La-
A. C. dislaus adolescens, ac Margarita ejus mater,
1390 omnium primi, obsequium Pontifici per Legatos praestiterunt. Ii Ludovici Andegavensis factione superati, et in Cajetanae arcis angulum conjecti, illius opem humillime imploraverant. Dum ita Pontifex Ladislaum omni auxilio tueri instituebat; Honuphrius Smedutius (1) tantam concepit animo amplitudinem erga templum hoc princeps, quae digna patrono clementissimo, digna in cives imperio, digna ipsius etiam loci majestate censeretur. Quare sancti Severini statuam ex argento conficiendam curavit, eamque dono dedit. Ubi vero illuxere (2)

---

(1) Sedente Alexandro VII. Pont. Max
Argenteam s. Severini episc. septemp. statuam ex altera
pervetusta ab Honufrio olim Smeducio apost. in hac
urbe vicario oblata itemq. ex collectitia piorum
pecunia magnificentius restitutam
senatus populusque septempedanus
suae in s. Patronum observantiae
ac pietatis exhibet
monumentum anno sal.
MDCLIX.

(2) Consule acta Joannis Francisci Saccarellii lata die 7. junii 1660.

artibus tempora auspicatissima; hoc Smedutianae pietatis monumentum, adaucto pondere, ac forma, instauratum fuit. Sed idem Bonifacius in canonicis ornandis speciem quamdam munificentiae non improvidus ostendit, ut eos A. C.
sibi magis devinctos retineret. Ipse anno 1396 1396
idibus maii cum diplomate lato apud sanctum Petrum spiritualibus indulgentiarum beneficiis fideles allicuit ad eorum ecclesiam visitandam *annuatim ultima die Sabati mensis augusti*, dummodo ea precandi ratio teneretur, quae erat *Anconae in ipso festivitatis die s. Ciriaci ex Gregorii XI. concessione* (1).

Sane nobis pergratum semper erit, Nutium episcopum Camerinensem in Priorem ecclesiae nostrae augendum liberalitatem suam contulisse. Nam suis cum literis datis Camerini A. C.
anno 1398 die 20. novembris contulit ei, 1398
aliisque in Prioratu subsequentibus, Vicarii munus, hac conditione adjecta, quod Dominico Cicco Priori, et vicario suo inter nos constituto *cedenti*, *vel decedenti succederet in vicariatus officio*, *vel Prior* deinceps eligendus,

(1) Ex tabulario capitulari.

vel abbas sancti Laurentii, vel plebanus ecclesiae plebis ss. Benedicti, et Clementis (1).

Usque ab Innocentii VII. electione caeptum erat agi de schismate eradicando. Sed adhuc principes in Italia contra pacem cogitabant. Modo Alexander V., modo Joannes XXIII. seditione coacti urbem relinquebant. Florentini de Brachio duce amico, et de Martini V. dignitate, ac fortunis solliciti conciliare eos invicem adorti, rem feliciter perfecerunt. Quo tamen in loco Marchiae Anconitanae deinceps essent res ob illorum audaciam, qui armis eam perturbarunt, injucundum esset referre. Sed Eugenius IV. nihil aeque cupivit, quam suae in ecclesiasticos viros benevolentiae cumulate respondere. Quare inter alia curavit, ut canonici ecclesiae nostrae bene se posuisse officia sua cognoscerent, et Romanam Sedem eorum commodis gratam experirentur. Qua in re nihil omnino vel studii praetermisit, vel labo-
A. C. ris. Suo cum diplomate Florentiae lato anno
1439 1439 VI. idus octobris praecepit abbati monasterii sanctae Mariae Vallisfucinae, ut capi-

(1) Ex eodem loco.

tulo perpetuo addiceret bona asceterii sancti Claudii extra muros oppidi nostri *abbatissa et monialibus* viduati *propter bellorum turbines, aliasque calamitates, quae partes* (1) *istas diutius afflixerant.* Neque tamen non canonicos etiam multo majoribus aliquando muneribus idem Eugenius affecit. Concesserat superioribus diebus Ludovico Caccialupio Priori, et capitulo bona monasterii sanctae Mariae de Submonte a monialibus jam derelicti. Nunc vero, quoniam certior fuit factus, Abbatem coenobii sancti Mariani, judicem delegatum, et oppidanos ipsos studium omne adhibituros esse, ne canonici ad jurium possessionem admitterentur; mandavit archidiacono Camerinensi, ut capitulo tantum daret auxilii, quantum ei satis esset ad ineundam illorum dominationem, salvo *fratribus ordinis minorum de observantia monasterio cum horto, et sylva juxta tenorem literarum dudum sex annis elapsis.* Vidimus prolixa Eugenii ea de re diplomata IX. kalendas februarii, et pridie idus augusti anno A. C.
1441 Florentiae obsignata, quae hic retulimus, 1441

(1) Ibi.

ut appareret ratio elargitionum, quae in canonicos per eos dies infensissimos fierent (1).

Populata Marchiae Anconitanae oppida in dies acrius premebat Franciscus Sfortia. Eugenius pacandae Italiae cupidus Alphonsum regem in Romanae Ecclesiae clientelam recipere, regnumque illi, jure, an injuria partum, decernere constituebat. Sed pax expetita confici haud-
A. C. quaquam potuit. Saluti tamen fuit, quae res ma-
1447 xime obfutura videbatur. Accesserat anno 1447. Tibur Alphonsus, bellum in Florentinos moturus. Ab eo enim Romanae plebis seditio in Nicolai V. electione compressa fuit, et legati ad Pontificem missi, qui supremam ei dignitatem gratularentur. Alii principes id certatim praestitere, in quibus Franciscus Sfortia Alexandrum fratrem legavit. Actum tum fuit, ut nuncii ab Alphonso, a Venetis, a Florentinis Ferrariam mitterentur, quorum opera, tum Pontificis auctoritate pax tandem composita est. Hinc Nicolaus cupidus parte aliqua ecclesiarum aerumnas sublevare, voluit etiam, ut aliquod suae ergà templum nostrum benevolentiae documentum extaret. Audiverat ab iis, qui Ga-

(1) Ibi.

brielem Baptistam Priorem amabant, eum jacturam non negligendam in juribus accepisse. Eam ob rem Priori prioratus sancti Angeli, Angelo de sancta Anatolia, et Ansovino Angelutii, canonicis ecclesiae Camerinensis, vel in primis mandavit suis cum literis datis Romae A. C.
apud sanctum Petrum anno 1449. VI. nonas 1449
maii, ut modis omnibus properarent auxilium ferre afflictis capituli rebus (1).

Redimitus exinde est Fridericus Caesar corona ferrea Longobardorum, ut vocant, sive Italiae regni, et de sacro in Turcas bello statim actum fuit. Sed expeditio, dum a Nicolao maxime urgebatur, illius morte disjecta est. Sub ipsam vero inaugurationem principes ad illud instaurandum Callistus III. impulit. Dum ita ingens nummorum vis ex sacerdotiis praesertim requirebatur; nihil canonicis nostris accidere oportunius potuit, quam ut Rodericum cardinalem de Borgia Anconitanae Marchiae legatum in eorum fortunis amplificandis pene cer- A. C.
tantem perspicerent. Mandaverat anno 1457. 1457
die 9. novembris Paulo de Plantaporis Pedemontano, eximio legum doctori, ut monasterii

(1) Ibi.

ss. Salvatoris bona haud negligenda perpetuo capitulo addicerentur. Id voluit ratum, probatumque Callistus, eique placuit, ut canoni-
A. C. ci dominationem inirent. Diploma latum Romae
1458 apud sanctum Petrum anno 1458. XIV. kalendas maii inscribitur Malatestae episcopo Camerinensi (1).

Dum tali modo Callistus operam dabat, ut canonici fortunarum tenuitati nuncium remitterent; turpem sane rem fecisse Stephanum de Natumbene Sixto IV. literae pervenerunt. Ipse in tabularium ecclesiae nostrae, cui Joannes Albertus praeerat, impetu facto, illud expilaverat, nulla boni et aequi, nulla Prioris, nulla rerum ratione habita. Ea de re cum apud Romanam Sedem Joannes Albertus graviter questus esset; mandavit Sixtus Thomae episcopo Aesii, ageret cum Stephano, ut canonicis, ablatum quod erat, vel restitueret sine mora, vel dependeret sine tergiversatione. Quod si facere neglexisset, scire illum voluit Pontifex, se ecclesiae dignitatis rationem habiturum, et capitulo satisfacturum. Ut vero, quod Sixtus mandabat, consequeretur episcopus,

(1) Ex rogitibus Marci Antonii Salvatori in tab. ep. f. 138.

mentem ea in re suam ostendit scheda sub A. C.
datum Aesii anno 1481. die 11. aprilis (1). 1481

Sed jam bella, quae tota in Italia exarserant, et nimia dissidentium procerum rapacitas jam comprobaverant satis, incassum monachos laborasse, ne coenobia dissolverentur. Tum Romani Pontifices, ne illorum bona perirent, ut templa custodirentur, saecularibus clericis ea commendabant. Id sane evenit duobus asceteriis sanctae Mariae Vallisfucinae, et sancti Mariani jam unitis. Quare, si in secunda hujus operis parte praeclara eorum abbatum facinora erimus prosecuturi, nunc sub oculis ponere, ac simul nosse detur, quod posteritati tradidit Innocentius VIII. in diplomatibus infra recensendis. Multa Pontifici necessitudinis officia cum Liberato Baltellio-Sensinio Priore, magnus suae cum ejus familia usus, magna benevolentia multos jam annos intercedebat. Quae cum ita essent, Liberatus ab Innocentio petiit, ut canonicorum ordinem benevolo animo exciperet, et sentirent ipsi, multum sibi apud Supremum Ecclesiae Moderatorem civis benevolentiam profuisse. Quare

(1) Ex archivio capitulari.

capituli res conficiendi curam paterno amore Innocentius suscepit, atque illas brevi ex Liberati sententia confecit.

Sanctae Mariae Vallisfucinae, et sancti Mariani sacerdotia Joanni Jacobo de Castellanis clerico Parmensi commendata primum voluerat Pontifex. Dein Raphaeli Riario Savonensi car-
A. C. dinali diacono ad velum aureum, et mox sub
1488 datum idibus maii 1488 ea *mensae capitulari ecclesiae Maceratensis* perpetuo addixerat. Deinceps eadem *in pristinum statum*, *in quo ante concessionem unionis* erant, restituerat, et ea *sic restituta praefato Raphaeli cardinali denuo commendari* praeceperat. Sed, Raphaele post-
A. C. modum abdicante, suo cum diplomate obsi-
1489 gnato anno 1489 III. idus julii voluit Innocentius, ut jurium (1) praedictorum monasteriorum possessio, futuris temporibus mansura, canonicis sine ulla mora traderetur. Ut vero idem Baltellius excitaretur ad bene, uti solebat, de Apostolica Sede etiam atque etiam promerendum; Innocentius familiaritatem suam

(1) Turchius in app. fol. 169. Celebratur Liberatus Baltellius prior a Sartio in epistola inscripta *de antiqua Picentum civitate Cupra montana fol.* 81.

ei jam contulerat; et reliqua, quae habebat; sacerdotia sanctae Helenae, et sanctae Mariae castri Aliphurni ei voluit manere. Et haec eo spectabant, ut quisque intelligeret, et debuisse canonicos Liberato omni tempore benefacere, et nunc magnopere voluisse. Sed ipse jam senio confectus prioratum, et paraecias Leoni X. resignavit. Tum suis cum literis datis Romae apud sanctum Petrum V. idus maii anno 1513 voluit Pontifex Benedictum Massarellum eo sacerdotiorum (1) genere honestare. Nam ipsius virtus, probitas, elegansque natura, et sua in cives voluntas plurimis officiis excitata in Pontificis aure versabatur. Et sane omnes perquam jucunde intellexerunt, capitulum anno 1527 die 26 julii templum, atque coenobium, sancti Mariani quod fuerat, sacris virginibus, quae a diva Catharina nomen habent, *reversivo jure* dedisse, eodem Benedicto curante (2).

A. C. 1513

A. C. 1527

Ubi vero sacerdotia mox recensita Benedicti morte facta fuerunt vacua; Clemens VII.,

(1) Ex tabulario capitulari.

(2) Ex publicis monumentis.

qui Leonis X. patruelis studia bonarum artium fovebat, Hieronymo Boccaurato ea jussit commendanda. Sed major, atque illustrior jam erat virtus ejus, quam quae prioratu nostro egebat, et plus ipse capitulo, quam ipsi capi-
A. C. tulum ornamenti afferebat. Quare effecit Paulus
1538 III. id tandem, quod dudum meditabatur; et eum, eodem tempore canonicum templi romani Apostolorum principis et Priorem nostrum, episcopum Aciensem nominavit. Quod eo libentius fecit, quoniam (1) in suorum familiarium ordinem eum adsciscere jam voluerat Clemens, aliisque dignitatibus cumulare (2).

---

(1) In quadam scheda obsignata *Romae in cancellaria apostolica anno* 1538. *die* 16. *maii — Nos collegium sollicitatorum literarum apostolicarum fatemur recepisse .... a priore, capitulo, et canonicis saecularis, et collegiatae ecclesiae s. Severini per manus Hieronymi Boccaurati canonici principis apostolorum de urbe, ac prioris etiam dictae collegiatae* — Ex eodem tabulario. *Pannelli Medici Piceni* vol. 2. pag. 320.

(2) Praeter eam, quam Priores ecclesiae nostrae omni tempore fidem praestiterunt, pro cujus auctoritate defendenda plurimas contentiones non erant veriti subire; ea etiam res nos movet, quod canonicorum fortunam majorem esse voluit Franciscus Jacobi de Gaginis. At quamquam ejus optimum in illos, alacremque animum Paulus III. libenter agnovisset;

Postquam diversis sententiis certatum fuit; contra spem omnium, anno piaculari 1550 Pontifex declaratus est Joannes Maria de Monte Aretinus, qui Julius III. nominari voluit. Ut ipse id praestaret, quod Virgilius de Capiteferreo Prior summopere optabat; incredibili canonicorum laetitia (1) ejus in locum constituit Angelum Massarellum civem nostrum suis cum literis latis anno 1550 IV. kalendas novembris. Hunc propter singularem optimarum artium doctrinam, cum amplissima familiae dignitate conjunctam, summo coluerat studio Hieronymus Landrius cardinalis, dum apud Hungaros anno 1538 legationem gerebat, et liberalem in suos atque beneficum oppidani erant experti. Egerunt itaque Pontifici gratias, quod eum capitulo, sanctae Helenae, et sanctae Mariae sacerdotiis principem dedisset, a quo erat ma-

A. C. 1550

---

voluit tamen, ut omne, quod ex Francisci rationibus habebatur, id ejus consanguineis libere curaretur. Quam commutationis sententiam latam Romae apud sanctum Petrum anno 1542. kalendis februarii denunciavit capitulo Antonius cardinalis sanctorum quatuor coronatorum, illudque Pontificis verbis admonuit, ejusmodi confectionem ne impediret. Ex eodem tabul.

(1) Ex archivio majoris ecclesiae nostrae.

gna virtutum seges expectanda. Eodem vero anno III. kalendas januarii suo cum (1) diplomate, Maceratae obsignato, Berardus Bonjoannes episcopus Camerinensis, et Marchiae Anconitanae vicelegatus idem testatus fuit, eum *plebania sancti Egydii terrae Staffuli* honestando. Sed vix unquam apud nostros moratus ipse fuit. Nam animi ejus sensum aptum ad omnem verae gloriae cumulum undique colligendum noverat Julius, qui, dum *in minoribus* versabatur, et *concilio Tridentino*, *et Bononiensi praesidebat, ejusdem concilii secretarium* dixerat. Mox *ad ipsum concilium Tridentinum* rursus destinaverat, *ut dictum secretariatus*
A. C. *officium inibi* prosequeretur (2) suis cum lite-
1551 ris datis Romae anno 1551 die 22 aprilis. Is cum munus non renuisset, Pontificem tamen admonuit, eam sibi rem detrimentum aliquod allaturam. Nam in societatis capituli nostri legibus erat, ut, qui oppido abessent, collegii proventibus ne juvarentur. Id cum Julio illiberale sane esset visum; eos, qui Romanae

(1) Ex eodem loco.
(2) Ibi.

Reipublicae magno cum labore operam impendebant, suorum sacerdotiorum fructibus spoliari; canonicis singulis, et societati nostrae mandavit, ut nihil ea de causa, quod is, *Concilio perdurante*, abfuturus esset, de illius prioratus proventibus detraherent. Imo operam adhiberent, ut omne id, quod praesenti curabatur, ad absentem etiam *secretarium*, *et familiarem suum* integrum perveniret, uti datum est legere in diplomate recensito.

Ubi Concilium post sex celebratas sessiones intermissum fuit ob Parmense bellum exortum inter Carolum V. et Henricum II.; Angelus Massarellus se ad viam comparavit, ut in urbe studia praestare Pontifici celerius posset. Id
cum satis Ei, mox Marcello II. et dein Paulo A. C.
IV. fecisset; nihil anno 1556. die 15 decem- 1556
bris ad bene de humano genere merendum aptius Thelesino episcopatu evenire Angelo potuit. Et hic persane gratum mihi adhuc est
id, quod ex diplomate Romae dato in aedibus A. G.
praedicti episcopi Thelesini anno 1559. die 24 1559
septembris intellexi, Berardum Bonjoannem antistitem Camerinensem ad Massarellum accessisse, ut ipse de canonicorum rebus eum alloqui, et cum eo, quae ex usu essent eccle-

siae, commode constituere valeret. Sed ubi rescivit, prioratum ipsum ex episcopi Thelesini *resignatione* vacuum fuisse; voluit, ut dignitas cum juribus ejus omnibus Michaeli Angelo Massarello addiceretur, eaque in re plura in diplomate recensito fuit loquutus (1).

Haec inter Joannes Angelus Medices mediolanensis in Petri sede collocatus est, qui Pius IV. dici voluit. Ipse Concilium Tridentinum per annos decem intermissum instauravit, et collatum episcopo Thelesino secretarii munus ratum voluit. Quae cum ita se haberent, cives nostri tum id Massarellum propemodum viderunt agere, ut eis nihil negaret. Effecit itaque, ut Astolphus Servantius tam eximiae doctrinae vir, quam sciunt (2) eruditi,

(1) Penes civem nostrum Josephum Ranaldium.

(2) Memoriae perenni
Astolphi Servantii viri mentis ingeniiq. praestantia commendabilis
hic Massarello qui fuit ab actis concilii tridentini socius
additus laborum ephemeridem diligentissime scripsit rerum
in sacro illo conventu gestarum; quam pretiosam vocat
Sfortia Pallavicinus cardinalis et sibi lumen non exiguum
attulisse profitetur ad historiam suam componendam
anno M.D. LX VII. in familiam franciscalium minorum
veteris observantiae libentissime receptus dictusque

ad Concilii acta curanda socius proveheretur. Neque spem suam Ganymedes (1) primum, mox Cynthius Pamphilus distulere, qui episcopi Thelesini voluntati satisfecerunt, ubi notarii ejusdem concilii sunt dicti. Sed unum quoque est, quod me delectat, et quanti faciendum civibus sit, aestimare eos malo, quam me scribere. Praesul Thelesinus rei nostrae dignitatis rationem habens Hieronymum Francum civem praestantem, et apostolicum nuncium ad Helvetios, deque se, conciliique viris optime meritum, suis beneficiis sibi devinxit (2).

---

rite mutato nomine Valentinus tertio post anno praeses coenobii factus est mox cunctis probatissimus administer provincialis fuit adlectus deinde ordinis negotiis per Italiam curandis praepositi vices agens quibus muneribus egregie functus suorum studiis cumulate satisfecit
Severinus et Raphael Servantii comites
anno M DCCCXXXVI.

Est in ecclesia s. Mariae gratiarum. Vide Pallavicinum in hist. conc. trid. lib. 15. cap. 13, et P. Sbaraglia in addit. ad Wadingum fol. 682.

(1) Consule opus inscriptum — *Ganimede Panfili istorico, et poetico libro.* Camerino 1582. *Pianti della gloriosa Maria in ottava rima.* Camerino 1578. —

(2) Hieronymus Francus de Sancloseverino ex comitib. Iruseiae equestris ordinis hic requiescit in pace qui sub Paulo

Ubi novem sessionibus Concilium absolutum fuit; Angelus Massarellus urbem ingressus totum se ecclesiae Thelesinae addicebat.
A. C. Sed magno moerore cives affecit ejus (1) mors
1566 inopina anno 1566. Et quoniam Pius volebat,

---

tertio Julio tertio et Marcello II. romanis pontificibus apud helvetios nuntius apostolicus extitit vixit annos septuaginta obiit pridie kl. septembris 1561.
Dominica Bonella uxor et haeredes moestissimi non sine luctu et lacrimis posuere.
Roma dedit tumulum, charam Septempeda vitam
Nullibi, crede mihi, nasci et obire libet.
Civallus visit. trien. — Cancellottus hist. septemp. mss. — Sarpius *ist. del conc. di trento.* Londra 1757. vol. 1. pag. 292. 561. 612.

(1) D. O. M.
Angelo Massarello Sanctiseverinati in picentibus
j. u. d. episc. thelesino ac doctrina insigni
qui cum Julii III. Marcelli II. Pauli IIII. summ.
pont. a secretis fuisset eodem secretarii munere
in s. conc. tridentino functus est in quo
ita se gessit ut nihil cor. quae in ipso conc.
acta sunt vel minimum desideretur
Michael Angelus et Cyutius
Pamphilus sororis filius fratri ac avunc. de se
opt. merito moerentes pos.
vix. an. LVI.
ob. XVII. kal. augusti MDLXVI.
Colucius ant. pic. vol. 5. — Gallettus inscrip. Piceni Romae stantes.

homines intelligere, Angelum (1) ob ejus doctrinam a se fieri plurimi, de sua in ejus gentem optima voluntate suo cum diplomate Cynthium Pamphilum sororis episcopi Thelesini filium certiorem ita fecit, ut ecclesiae nostrae

---

(1) Angelus Massarellus episcopus Thelesinus scripsit — *De pontificibus, et cardinalibus diversi tractatus, et notationes diversae — Summarium vitarum pontificum maximorum — Scripturae visu, lectuque dignae. — Epitaphia pontificum, et cardinalium. — De rebus antiquis ecclesiae lateranensis. — Adnotationes, memoriae, vitae, signa, insignia diversorum pontificum, cardinalium, regum, principum, militum, nationum, provinciarum, civitatum, terrarum totius orbis. — Memorie dei Papi, e Cardinali cavate dalle chiese, ed edificj di Roma.* — Laudatur a Surio concil. tom. 4., Raynaldo continuat. ann. eccles. tom. 21. p. 2., Ughellio it. sacr. vol. 8., Torellio saec. aug. vol. 8., Severano mem. sacr., et Panvinio, qui ait. — *Magna post haec habenda est gratia ab omnibus historiae ecclesiasticae studiosis Angelo Massarello Sanseverinati piceno, romani pontificis a secretis, cujus beneficio, et singulari charitate, ut est vir omnium humanissimus, adjutus sum cum in omni hoc opere conficiendo, tum praesertim in hac parte, quae eorum pontificum, et cardinalium seriem continet, qui absentes ab urbe in Galliis Avenione commorati sunt .... mihique multa, quae in hac materia congregaverat, libenter tribuit* — ex opere inscripto — *romani pontifices, et cardinales sanctae romanae ecclesiae.* Venetiis.

Prior inaugураretur. Massarellus enim de illius in romanam rem officiis ea retulerat, quae Pio grata acciderunt. Paterna benevolentia eum Romani Pontifices complexi erant, ex quo canonici ecclesiae Oritanae voluerant anno 1558, ut ad urbem Cynthius, qui apud eos canonicum gerebat, proficisceretur ad capituli (1) negotia procuranda. Sed fuerat illud cum per se longe praeclarum, et Cynthio gloriae, tum certe capitulo nostro apprime salutare, quod ipse gesserat in Concilii Tridentini senatu, et bene
A. C. grati erga eum animi egregia erant signa ii
1574 patres ostensuri, ni Cynthius anno 1574 III. idus octobris praepropera morte (2) occubuisset. Qua sane re vehementer cives perturbati sunt, existimoque canonicos quidem primum, qui in tam viridi aetate praestantem virum amiserunt, quique usque ab anno 1570 magnam virtutis spem praebuerat in capituli jura vindicando coram Philippo Riccabella episcopo Recinetense (3).

---

(1) Ex scheda obsignata die 11. maii apud Ranaldium.

(2) Vide opus inscriptum — *Ganimede Panfili centoni et historici capitoli.* Camerino 1579.

(3) Ex scheda apud Ranaldium.

Postea capitulum intellexit, in prioratu Leonem Ugolinum a Pontifice successorem fuisse institutum. Is statim dedit operam, ut cessione ecclesiae (1) ss. Salvatoris pietate, ac virtutibus animi subcrescere oppidani Cappuccinorum familiam viderent, curantibus Fabio Lazzarello, Joanne Felicio, Benvenuto Benvenuti, Gaspare Altadiano, et Nicolao de Laurentiis. Mox capitulo benevolentiam voluit exhibere Gregorius XIII. Ipse suis cum literis datis Romae apud sanctum Petrum IX. kalendas aprilis A. C.
anno 1578 canonicis *altare privilegiatum per-* 1578
petuum largitus fuit (2).

Ita canonicorum se habebant res, donec ipsi conquesti graviter sunt apud Sixtum V. ea de causa, quod jura, inflammato quidem animo, Prior erat aggressus. Quae res quoniam (3) contra ecclesiae statuta jam ab anno 1521. obsignata in primis erat; Pontifex praecepit, ut Gaspar Sillingardus episcopus Ripanus daret

(1) Ex tabulario capitulari.

(2) Ibi.

(3) Die 15. septembris priore Benedicto Massarello, et confirmante Nicolao de Nigris vicario episcopi camerinensis. Ex tabulario capitulari.

operam, atque mandaret, ne quid posthac detrimenti a Priore canonicis inferretur. Et quidem capitulo omnibus in rebus, quae ad illius dignitatem, in parochis praesertim eligendis, pertinebant, episcopus non defuit. Nam ipse anno 1586 die 27 martii fauste consociavit canonicos eo constitutionum genere, quod idem esset (1) omnium arctissimum, atque sanctissimum. Sed a Romana Sede ea alia expectare canonicos ipse Pontifex voluit, quae a filiis de patre erant expectanda, uti a Francisco Cantuccio episcopo Lauretano latius ipsi cognoverunt. Ei Sixtus mandaverat, ut apud nostros se conferret, et apostolicus in *mensae capitularis* dissolutione esset vicarius. Et revera singula consulto, atque prudenter administravit episcopus, et omnibus rebus, quas dixerat, quasque (2) statuerat, minime duxit Pontificem defuturum. Ast multo plus erat illud, quod de Sixto sperabant cives, quodque jam canonicis Pontifex pollicebatur. Et fuit hoc tam amplum, ut in hoc uno cuncta inesse

(1) Ibi.
(2) Ex rogitibus Torquati Pamphili ann. 1586. die 2. octobris.

Pontificis munera, omnesque partes existimandum sit. Is anno 1586. cum diplomate sub plumbo dato apud sanctam Mariam majorem IV. kalendas novembris hanc ecclesiam ad cathedrae (1) episcopalis honorem denuo erexit. Et ita universum canonicorum ordinem, fortunae contumelia per saecula conflictatum, primis ferme pontificatus diebus liberalitate sua Sixtus recreavit, ut sperandum plane esset, Pontificem unum brevi omnia ecclesiae damna sarturum (2). A. C. 1586

Et quidem mihi laetandum videor, ea tandem advenisse tempora, quibus absoluta hujus

(1) Ex archivio capitulari.

(2) Series Priorum ex diplomatibus desumpta — 1132. Vivus. 1171. Petrus 1177. Albertus. 1186. Binus. 1208. Albertus II. 1213. Severinus Ugolinus. 1228. Barthulus. 1234. Caesarius. 1240. Severinus II. 1265. Marcolinus. 1266. Marcellinus. 1270. Membratus. 1272. Ribaldus. 1292. Riccerius. 1339. Grimaldescus Saxolinus. 1343. Gualterius Saxolinus. 1362. Dominicus de Cicco. 1413. Joannes Camers. 1421. Franciscus Brunarellus. 1438. Ludovicus Caccialupus. 1444. Gabriel. 1458. Stephanus Brunius. 1489. Liberatus Baltellus. 1513. Benedictus Massarellus. 1538. Hieronimus Boccauratus. 1549. Virgilius de Capiteferreo 1550. Angelus Massarellus. 1559. Michael Angelus Massarellus. 1567. Cyntius Pamphilius. 1574. Leo Ugolinus.

ecclesiae instauratio felici omine inducta fuit. Sixtus enim Horatii Martiarii virtutem saepe probaverat, et romanam ab eo rem miro studio semper cultam fuisse cognoverat. Itaque eum episcopum renunciavit Sixtus. Et si unquam alias ulla in re concupivit antistes optatos legationis exitus impetrare; haec una fuit canonicorum in comune vivendi consuetudinem penitus antiquare. Hinc episcopus canonicos vehementer rogavit iis de causis, de quibus ad Franciscum antistitem Lauretanum Pontifex jam literas dederat, et (1) potest facile quisque perspicere, quantum studii fuit ab eo adhibitum, ut anno 1587. die 30 januarii res ex sententia transigeretur. Operae enim pretium fuit maxime quidem, ut in ejusmodi dissolutione ex capitulari censu quamplura essent disjuncta, quibus tantum canonici in posterum uterentur in sacrarii rebus communiendis.

Ubi huic nummorum cumulo alia accessere; episcopus Martiarius pristinam meditatus fuit ideam commutare, et omnem movens lapidem, ut voti compos fieret, quatuor nuperos cano-

(1) Ex actis Torquati Pamphili.

nicatus instituit, reliqua pecuniae vi pro ecclesiae perpetua curatione mancipata. Ista dignitatis accessio magnam Sixto voluptatem attulerat, et libenti animo, titulos ut Martiarius augeret, idque muneris obiret, ei permi- A. C.
sit suis cum literis datis Romae anno 1588 1588
nonis julii. In quo etiam, ut magno templi usui esse posset antistes, ei fuit enitendum, ut sibi viam muniret ad reliquos dignitatis gradus capessendos, quos ei aliud Pontificis diploma patefaciebat. Nam Prioratum in Archidiaconi dignitatem erexit, qua Leonem Ugolinum honestavit. Dein antiquiorem canonicum Lucam Tardolum, quo episcopus a vice sacra utebatur, archipresbyteri (1) dignitate decoravit. Sed post hujusmodi dignitatum, et praebendarum creationem Pontifex intellexit, majori templi principis ornamento conducere, ut numerus ulterius augeretur. Itaque voluit

(1) Series archipresbyterorum — Lucas Tardolus — Bartholomaeus Tardolus — Franciscus Maria Binius — Ubaldus Sperandeus — Nicolaus Boantius — Petrus Antonius Margarutius — Ludovicus Partegnelfius — Rutilius Puccitellus — Antonius Maria Margarutius — Hieronymus Margarutius — Severinus Pacificus Margarutius — Camillus Margarutius — Nicolaus Crivellius.

literis desuper relatis, ut episcopo potestas esset canonicorum seriem ampliandi. Ipse igitur curam adhibuit, ut negotium optime regeretur, et fuit id cum per se clarum, tum certe populo salutare. Nam praebendam jussit theologalem, cui stipem addixit ex canonicatu de veteribus primo vaçaturo detrahendam, et cui praeposuit Mutium Achilleum. Et hic exploratum civibus puto esse, quo amore fuerit (1) in eum divus Philippus Nerius, quamque illum usque a teneris annis, uti fusius in capite subsequenti, Romae versantem in arctam gentis suae necessitudinem admiserit. Eum idcirco semper habuerat charissimum Hieronymus Vitalis de Bobus episcopus Camerinensis, eique domum redeunti commodari in collegio nostro (2) de theologi munere valde cupiverat, et ob multiplicem ejus doctrinam personam suam gerere inter nos voluerat. Idem et episcopus Martiarius deinde fecit. Caeterum

(1) Baccius in vita s. Philippi Neri pag. 150. 236. 270. — Ex libro diversorum Mutii Achillei relato in bib. pic. tom. 4. — Extat apud Ranaldium.

(2) Ex decreto Gasparis Ursini vicarii episcopi Camerinensis lato die 10. februarii ann. 1584.

canonicatus ante cathedrae instaurationem inducti *seniores* nuncupati fuerunt, quos inter archidiaconus, archipresbyter, et mox poenitentiarius recensiti.

Ita cum omnium votis a Martiario satisfactum esset, non immerito dicam, ecclesiae jura per eum non solum vindicata fuisse, sed etiam adaucta. Sed statim omnem curam ad dignitatem suam tuendam nuperi canonici detulere. Causam totam Cardinali de Sens canonici seniores commendarunt; et ipse (1) dedit sane ope- A. C
ram anno 1591. die 8 januarii, ut bene lae- 1591
tari ipsi possent. Sed dedit etiam haud multo post ad primaevae institutionis capitulum Augustinus Dena in romana curia auditor generalis literas, quibus ei significavit, se ejus postulationibus satisfecisse. Nam de iis subantea cum Paulo Æmilio Zacchia camerae apostolicae commissario erat diligenter locutus. A. C.
Quae cum ita se haberent, canonici anno 1597. 1597
die 25 maii viderunt Denam ipsum singulis voluisse, quibus in rebus honeste posset, suam

(1) Ex rogitibus Joannis Dominici Fortini die 11. januarii 1591.

non claudere auctoritatem. Quare legem ipse tulit, *nullum jus camerae apostolicae pertinere super antiquioris capituli fructibus* (1).

Gratae insuper eidem seniori capitulo fuerunt literae, quas anno 1597. die 3 Septembris ad illud Cardinalis Alexandrinus (2) dedit. Superioribus enim annis ad illum scripserant, se cupere, auctoritate efficeret sua, ut ea componeretur controversia, quam nonnulli animis infensis exercuerant super assignatione fructuum per commissarium apostolicum antea gesta, et mox per episcopum Martiarium in mensae dissolutione. Quare idem cardinalis omnibus imperavit, ne quid isthinc ejusmodi ad Romanum Pontificem perferretur. Imo curavit, nec curavit solum, sed etiam jussit, ut memorata dissolutio perpetuo confirmaretur: nam canonicorum rem, quam tot annos sermone quidem plurimum Martiarius juverat, suis etiam scriptis ipse juvit, quibus *sancti Severini canonicam saecularem semper, numquam regularem* fuisse abunde probavit.

---

(1) Ex tabulario capitulari.

(2) Ibi.

Sed ecclesiae ipsius claritas, et amplitudo familiae Clementem VIII. impulere, ut, quod veteri capitulo usui fore magnopere intellige- A. C. bat, id ipsi anno 1598. suis cum literis datis 1598 Ferrariae die 24 octobris tribueret. Inter Petrum Simonem Caccialupum Archidiaconum doctum hominem et humanioribus literis illustrem (1), et inter canonicos disceptatio existebat nonnullis de rebus, quae ipsius dignitatis fines longe lateque promovebant. Sed cum ipsi singulis prope horis intellexissent, se ardentiores ea in re quotidie fieri, huic negotio voluerunt aliquem praeficere. Quare nemo ea re capitulo dignior Angelo Vellio praeposito presbyterorum congregationis oratorii de urbe, tunc apud nostros commorante, est visus. Et revera ex ejus decreto id cognoverunt canonici, quod ipsis unice gratum accidit. Nam aequum esse duxit, ut archidiaconus proventus liberales haberet, utque canonicos et socios et adjutores conspiceret. Adfuit autem omnibus rebus, quas dixerat, idem (2) Pon-

(1) Petrus Simon Caccialupus archidiaconus scripsit de caelitibus sanctis septempedanorum latino carmine. Vide hist. septemp. mss B. Gentilii de Rovellono vol. 2.

(2) Ex tabulario capitulari.

tifex, et de hac sua in collegium nostrum voluntate ei egerunt canonici, quas debebant,
A. C. gratias, hoc est maximas atque amplissimas.
1621 Ubi Petrus Simon vivere desiit anno 1621 die 13 Februarii; voluit Urbanus VIII. in primis Joannem Baptistam Caccialupum de sua in illum voluntate certiorem facere. Hinc studium posuit, ut Joannes Baptista Archidiaco-
A. C. num apud nos ageret. Extremum vitae diem
1642 anno 1642. die 26 augusti ut ipse confecit; ejusdem Urbani suffragia consensere in Caesarem Cancellottum, virum sane doctissimum, tantaeque parem potestati, ut ipse Archidiaconatus curam gereret. Dum ecclesiae magno usui ejus virtus sane erat, Catharina Felitia canonicorum familiam eximio cultu complexa fuit. Quare, ut duodecim relatis canonicatibus alius accederet de pecunia sua, ipsa praecepit. Sed Caesar ad sui nominis dignitatem satis jam
A. C. fecerat, et Alexandro VII. quidem placuerat
1658 eum anno 1658. VII. idus aprilis ex Archidiacono ad Vigiliensis civitatis (1) infulas evehere, aeque ac Lutium Brunum in ejus locum sufficere. Hunc audiverant libentissime Romani

(1) Ughellius It. sacr.

Pontifices, cum propter ejus virtutem, tum etiam quod familiaritate (1) erat usus cardinalium Cynthii Aldobrandini; et Benedicti Odescalchi, qui mox fuit Innocentius XI. Et quia ipse amore summo prosecutus semper fuerat Rutilium Puccitellum, omnem curam adhibendam statuit, ut ipse ad Archidiaconatum sublegeretur. Et id plane gratum capitulum habuit, dum Caelestinus Rutilii frater in curam receperat Scalae et Ravelli episcopatum, et Uladislaus IV. Poloniae, Sveciaeque rex jam, quae suae erant, partes (2) in Virgilio Pucci-

(1) Da Mandrisio vita del B. Pacifico Divini. Lugano 1788.

(2) D. O. M.

Virgilio Puccitello sacerdoti septempedano
qui morum honestate literarum splendore
ac animi benignitate fuit apud omnes
in honore receptus. Uladislao IIII.
Poloniae Sveciae regi annis XXV.
a secretis servivit
cujus ad agen
dum solertiam tanti rex existi
mabat ut ad ipsum magni ponderis
negotia pluries detulerit legatio
nibus pluribus regio nomine perfun
ctus est. Prudentiae fidei ac summae
integritatis argumenta nitidissima

tello ornando eas amantissime impleverat. Hunc enim suis ab epistolis tanti rex ipse fecerat, ut Virgilius, Caelestinus, et Rutilius confiderent, nihil se frustra petituros. Haec inter canonicorum res veluti conficiendi curam Amantia Margarutia suscepit, et suam dedit operam, ut alteri canonicatui creando in testamento esset consultum.

A. C. 1664 Brevi et Rutilius anno 1664. die 26 Februarii desiit agere inter homines, et idcirco Alexandro VII. Joannes Ludovicus Cancellottus in primis idoneus visus est, qui archidiaconatus curam subiret. Et si quid fuit deinde, in quo Valerii Cancellotti amplificare dignitatem Clemens IX. posset, suum ei studium libentissime fuit pollicitus. Et hic sane vir

---

edidit. Quod testantur epistolae quae ab ipso rege Uladislao huic nostrae civitati jam missae asservantur. Denique hic in patriam reversus obdormivit in domino anno aetatis suae LV. salutis vero M.D.C.LIIII. die XXVI. Xbris Rutilius frater, ac Severinus ex altero fratre nepos de Puccitellis non sine lacrimis posuere. — Prostat in ecclesia Sancti Laurentii. Vide penes comitem Severinum Servantium Collium literas octo ab eodem Uladislao rege scriptas amantissime Virgilio Puccitello.

egregia virtute clarus, ubi Joannes Ludovicus fato cessit anno 1667. die 17 Februarii, archidiaconus renunciatur. Hinc, ut sui in Nicolaum Talpa amoris pignus esset, Innocentius XI. anno 1681. die 17 augusti in demortui Valerii locum eum substituit, non oblitus, quantum in romanam rem beneficiorum ipse contulisset, dum apud Cardinalem de Luca versabatur, et Tolentini praefecturam substinebat (1).

A. C. 1667

A. C. 1681

Haud multo post Caroli Casciani mentem canonici maxime omnium cognoverunt. Nam praecepit ipse, ut sua, vix essent vacua, capitulum haberet bona, eique liceret omnia facere ea super re, perinde ac sibi, si adesset, pro alio instituendo canonicatu licuisset; uti plurimum in id operis de sua pecunia Valerius Pellicus contulerat, ex quo duobus aliis canonicatibus jusserat esse consultum in testamento. Ubi vero Nicolaus vitam amisit anno 1693. die 11 aprilis, Joannem Baptistam Benium archidiaconatui Innocentius XII. libenter praeposuit. Forensium Romae, rerumque agendarum principia a viris praestantissimis ipse hau-

A. C. 1693

(1) Hieronymus Talpa hist. septemp. mss. lib. 6.

serat, et per annos plures (1) auditoris munus apud Melitensem nuncium gesserat. Huic tamen, ut in Italiam remearet, valetudinis curandae gratia, missum jam fecerat. Brevi Joannes Baptista in fidem suam capituli omnia recepit, et brevi ipso in sinu Felix Favarius canonicos idcirco collocavit, ornaturus eos, cum primum se occasio sibi dedisset, iis ornamentis, quibus perspicere possent, quanti ipsos faceret. Itaque suis ultimis cum tabulis indulsit capitulo, ut suae haereditatis curam susciperet in alterius canonicatus dotatione constituendae.

Sed mox Joannes Baptista archidiaconatum sponte abdicavit, et ejus in locum Fran-
A. C. ciscus Xaverius Collius a Clemente XI. an-
1715 no 1715. sufficitur, vir egregia virtute clarus, et ob majorum suorum plurima in rem nostram officia omni tempore civibus charissimus. Nam si quid erat, quod ejus amplificare dignitatem posset, id duo ejus avunculi perquam sane curarunt, Sebastianus Pellicus Ferrariensis arcis nobilissima praefectura decoratus, et Nicolaus Collius Vvir apud Lucenses,

(1) Idem ibidem lib. 7.

item vir in tota Æmilia litibus judicandis, et cardinalium Pallavicini, et Barbarigi vice sacra functus. Dum eo igitur animo ipse erat, ut in eadem cum canonicis fortuna magis magisque quotidie conjungi cuperet; factum est, ut adversa semper valetudine conflictatus amanter susciperet Nicolaum Benium, qui ad archidiaconatus munus fuit admotus.

Haec inter, cum templum pontificale ea esset vetustate ut ecclesiae dignitatem minime substineret; episcopus Pieragostinus in illud animum intendit, ut meliorem in formam assurgeret, et anno 1743. iterum consecravit, antiqua die VIII. junii inaugurationis anniversaria (1) constituta. Et hic praetereundum minime est, antistitem Franciscum Sperellum elapsis annis suo sumptu sacellum Mariae virginis Carmelitae a fundamentis extruxisse, ac locupletasse. Sed uti civitatis, ita Ecclesiae non unam semper, sed variam pro varietate temporum conditionem esse, quoad incolatum et civium solum, satis superque erat in fatis. Publica narrant monumenta, cives ab initio unicum incoluisse castrum in montis nigri

A. C. 1743

(1) Ex publicis monumentis.

apicc. Ibi, coercito aedium ambitu, civibus lares, magistratui aedes, canonicis templum, episcopo tandem sedem constitisse. Exploratum insuper est, aucto civium numero et cultu, honestiores incolas ad montis radices paulatim commigrasse. Scio etiam, omnium primos urbis decuriones huc aedes publicas, praesule Firrao praefecturam gerente, anno 1722. transtulisse. Nam cives ad publicos actus explendos aptiorem sibi locum quaeritabant modo in *lodiis*, modo in *porticu*, modo in *aula*, et *mansione* (1).

Ad haec quum animum animadvertisset Benedictus XIV. intellexit, nihil commodius statui posse, quam templi maximi, et sedis episcopalis locum commutare. Hinc inter caeA. C. tera, quae constitutione complexus est edita
1748 X. Kalendas maii anno 1748., specialissimas tulit leges. Et initio perspiciens, quod in fre-

(1) *In lodiis divi Augustini* 27 maii 1583. ex lib. com. nostrae pag. 6. — *In porticu divi Augustini de more* 21. octobris 1583. pag. 38. — *In mansione Dni Alphonsi Masciarelli in platea magna* 16. septembris 1595. pag. 258. *In aula Misericordiae* 3. januarii 1722. pag. 2. *In palatio consulari sito in platea magna* 20. aprilis 1722.

quentissima civitatis parte aderat abbatialis ecclesia sancti Laurentii in doliolo cum adnexis aedibus; hinc episcopo, et capitulo de nova sede, et ecclesia censuit providendum. Mox remedium laturus incommodis omnibus, non tam episcopum hortari, quam propemodum cogere visus est, ut rem ipse ad finem perduceret. Imo hujus propositi adeo tenax fuit Pontifex, ut in hac cathedralis decreta immutatione plura praescripserit, quae effectus gignere debebant irretractabiles. Haec Benedictina constitutio non potuit in omnibus statim exitum promereri. Sed ubi gelidos cineres die A. C.
27 julii anni 1759. Archidiaconus Nicolaus Be- 1759
nius apud Genesinos reliquit, et Dionysius Gentilius de Rovellono, pius sane homo, et prudens vir, et agendis rebus in primis idoneus, Nicolai successor fuit salutatus; atque ubi vi- A. C.
tam amisit anno 1761. cardinalis Raynerius de 1761
Ilcio, abbas commendatarius divi Laurentii; illico abbatiale tribunal cessit episcopi jurisdictioni, et abbatialis palatii pars futuro abbati addicta, reliqua vero episcopo. Nec minori alacritate properatum fuisset ad cathedralis translationem, nisi in ea tantisper supersedendum sibi proposuisset episcopus Forlanus, ut eas

inquireret causas, quas archidiaconus Gentilius de scripto exhibuerat praecavendi gratia quodlibet damnum capitulo obventurum.

A. C. Omnibus tamen posthabitis, episcopus
1763 collatam sibi potestatem explevit anno 1763. die 4 novembris cum translatione *cathedralitatis* ita dictae ab ecclesia sancti Severini in eam divi Laurentii. Non minor fuit episcopi cura in aliis exequendis, quae Pontifex praescripserat. Inter caetera, onus reparandae novae cathedralis iisdem incumbere statuit, ad quos de praeterito templi sancti Severini conservatio pertinuerat. Quae verba cum nonnihil laedere viderentur antiquioris capituli libertatem, jamdiu ab anno 1587. ut supra acquisitam; hinc idem episcopus ad conquestionem archidiaconi Gentilii de Rovellono factam anno 1763. die 5 novembris dubium omne diluere coactus fuit. Huic vero translationi Pontificis jussu peractae plausit episcopus, qui in ea perficienda nil amplius cunctandum putavit. Plausit Cardinalis de Comitibus abbas commendatarius, cujus indemnitati consultum remanebat. Ast, triennio vix elapso, tentatum fuit translationem praepedire apud archiepiscopum Firmanum, qui tum erat in civitate

nostra pro expediendo negotio abrogatae societatis sancti Antonii *de Cesalonga*. Mox idipsum apud nonnullos, quibus tamen capitulum restitit. Ubi vero haec nihil proficere senserunt cives perantiqui templi principis studiosissimi, rem palam expugnandam aggressi sunt A. C.
anno 1765., in quo episcopus Forlanus trans- 1765
latus fuerat ad sedem civitatis Castellanae. Tum a Clemente XIII. totius rei summa demandata fuit Cardinali de Rubeis, et eodem anno die 29 novembris inopinata prodiit lex *pro reductione in pristinum*, quam subinde a Pontifice ratam fuisse retulit idem Cardinalis die 6 decembris.

Capitulum suis firmiter juribus inhaerens sua ab ecclesia divelli passum non est, nisi postquam inde recedere coactum fuit die 29 decembris ejusdem anni, auctore Petro Boscarino canonico ecclesiae nostrae tum vicario capitulari, et deinceps episcopo Tiphernate, cui Cardinalis de Rubeis die 25 decembris rem modis omnibus curandam praeceperat. Longum esset referre conquestiones Cardinalis abbatis, quibus leniendis plures prodierunt declarationes, quas taciti praeterimus. Hinc nonulli potestatem sibi vindicarunt concedendi Pio Piermar-

tino abbati monachorum cisterciensium ecclesiam divi Laurentii. Curam tum in se tran-
A. C. stulit Cardinalis Cavalchinus providendi cultui
1766 ejusdem templi, et dedit anno 1766. die 11 julii urgentes literas ad episcopum Prosperum, ut omni, quo poterat, modo ipsi con-
A. C. sultum remaneret. At haec anxia solicitudo in
1770 irritum cessit. Interim denatus est anno 1770. die 30 augusti Dionysius Gentilius de Rovellono, et nihil minus quam dignitatem cogitabat, imo, rebus ita fluctuantibus, eam perhorrescebat Carolus Valentinius, qui apud nos canonicum agebat. Sed factum est, ut anno mox laudato ad eam merito sublegeretur. Nondum enim juventutis annis expletis id luculenter ostenderat, se ingenio ita abundare, ut quocumque animum applicuisset, posset excellere. Gratus, atque acceptus summis, mediis, infimis cum singulari benignitate vivebat. Quare vicem mox sacram episcopi gessit.

Haec inter venit dies, in qua disputari opus fuit, an et ad quem spectaret reparatio ecclesiae sancti Laurentii, et prodiit anno 1772. die 5 junii speciosissima resolutio, per quam, reditu facto ad benedictinum diploma, putavit cardinalis Cavalchinus, reparationis onus dime-

tiendum esse ex ecclesiae dominio. Huc re perducta, senserunt canonici, sibi egregie illudi; et, facto silentio, sua jura seorsim ab episcopo tueri studuit capitulum, ac ad urbem archidiaconum Valentinium legavit, ut, collatis cum cardinali Marefusco abbate commendatario consiliis, rationem inveniret, qua, rebus omnibus in ordinem redactis, utriusque ecclesiae dignitati consultum remaneret. Hinc Cardinalis ipse, hinc episcopus noster, suum quisque votum,
A. C. exhibuerunt; hoc tamen discrimine quod prior
1773 Pontificis studiis anno 1773. die 25. junii in-
1776 servire adnixus est: alter anno 1776. die 5 januarii plura sibi e calamo, et ore excidere permisit dissona ab iis, quae pridem propugnaverat. His ergo ita se habentibus, sistitit capitulum in Cardinalis Pamphilii conspectu, et diem illuxisse sibi merito gratulans, quae cum suis, tum ecclesiae septempedanae rebus afflictissimis diu quaesitum, sed nunquam hactenus inventum afferret praesidium; ad pontificii rescripti formam definiendum proposuit dubium, cui idem cardinalis anno 1776. die 13 septembris censuit rescribendum *pro expeditione bullae moderatoriae.*

Joseph Vignolius, qui ad Carpentoracten-

nosse si quis cupit, literas consulat fuse admodum ea recensentes. Ubi Pontifex, quae canonicorum rebus conducere ad quietem perspiciebat, cognovit eos diligenter commendasse; anno 1790. suo cum diplomate lato Romae apud sanctum Petrum XIII. kalendas junii capitulum honestandum sibi esse atque ornandum putavit. Ipse igitur in perpetuum cavit, ut archidiaconus veste serica violacei coloris, cappa magna cum supparo, canone, atque lychneolo uteretur. Mox indulsit, ut (1) archipresbyter, caeterique canonici per hyemem suppari, et cappae magnae, per veris et autumni tempora suppari, et cappae magnae sine pellibus armellinis, per aestatem ejusdem suppari, et superpellicei ornatum gererent. Hinc illud cogitare est aequissimum, ut, quoniam Pontifex honoribus cumulatos archidiaconum, archipresbyterum, et canonicos voluit (quorum primus non aliis insigniis, quam superpelliceo cum supparo antiquitus decorabatur, alii vero superpelliceo atque almutia) non ipsi minus ad bene de apostolica sede merendum cives excitarent singulos, quam illam ad templum

(1) Ex tabulario capitulari.

maximum amantissime complectendum ii erant cohortati.

Et revera cives certiores sunt facti, eidem Pontifici placuisse Angelum Antonium Ansel-
A. C. mium sacris solutum vinculis, quae eum Ter-
1792 racinensi ecclesiae feliciter obstrinxerant, ad
A. C. hanc sedem regendam vocare. Eum pacis au-
1798 ctorem anno 1798. cives experti fuerunt: ipse templum maximum (1) in splendidiorem formam redegit, donis locupletavit. Nec dissimulandum est id quod Petrus Jacobus Scina-Gentilius suis cum tabulis significavit capitulo de duobus aliis canonicatibus suo censu creandis. Quae receperit interim e civibus archidiaconus Valentinius ad annos plures voluntatis indicia, praesulis Anselmii sacra vice perfunctus, late graviterque quisque dignovit. Charus cardinalibus Rovarellio, Caracciolo, et

(1) Angelo Antonio Anselmio Viterbiensi
episcopo Septempedano
catholicae ecclesiae juris
in perduelles synodi Pistoriensis propugnatores strenuo vindici
templique hujus epystiliis auro obductis
picturis aliisque ornamentis illustratori munificentissimo
ordo canonicorum
grati animi monumentum antistiti optimo benemerenti P.
anno Dñi MDCCCXVII.

de Petro, vere pastor, et parens ad episcopalem dignitatem esset promotus, nisi cathedrae fastigium modestissime recusasset. Vir dicendi robore eximius, festiva varietate mirabilis denatus fuit anno 1811. die 22 Augusti.

Data haud multo post Ecclesiae pace, et ad Petri cathedram Pio VII. restituto, difficile dictu est, quanto Italiam solatio recreavit exoptata ejus praesentia. Ipse archidiaconi munus detulit Francisco Collio, qui in collegio nostro canonicum gesserat, omnisque christianae rei studiosus cultor plura in religionem contulerat, et antistitis a vice sacra tum erat. Mox episcopalem hanc sedem Jacobo Ranghiascio Brancaleonio conferens existimavit, id omnibus, cum Pontificis, tum ipsius causa, cujus plurima in romanam rem officia semper extiterant, voluptati fore. Dum ita dies referebantur in melius, et eidem Pontifici aliquid gaudii degustare contingebat; in publicam utilitatem haud peccare timuerunt, qui ad annos plures de recensita in pristinum cathedralis reductione siluerant, et Pii aures novis morati sunt precibus. Haec inter archidiacono Collio vita functo, voluit Pontifex, ut Pio Parteguelfio anno 1817. dignitas traderetur. In

hoc et capitulo gratum ipse fecit, et virum sibi pridem valde deditum eo beneficio magnopere sibi devinxit. Dein placuit Pontifici cathedralis translationem ita temperare, ut pervetustum templum maximum splendore mini-
A. C. me nudaretur. Imo negotio se totum addixit,
1820 et anno 1820. die 19 maii novum pontificale templum augumento exornavit, illud perpetuo ditiori censu ditando. Mox suis cum literis da-
A. C. tis Romae apud sanctam Mariam majorem an-
1821 no 1821. die 22 maii societatis augustinianorum eremitarum ecclesiam cathedralem dixit. Perficiendum vero opus episcopo Ranghiascio reliquit, qui congregationem consuleret, quam in id Pius instituerat ex quatuor capitularibus, et totidem primoribus civibus coalituram, Josepho Oliverio, Joanne Baptista Collio equite militiae etruscae stephanianae, Nicolao Lutio marchione, Severino Servantio comite. Horum prior in impensas hujus translationis ergo faciendas contulerat pii operis Scina-Gentili reditus ad annos plures percipiendos. Postea quam ardenter Pius episcopi curis hac de re studeret, testis fuit peramplum eremitae sacerdotium templo principi addictum cum lite-
A. C. ris Romae datis apud sanctam Mariam majorem
1823 anno 1823. pridie idus junii.

Pio VII. caelestem in patriam a Summo revocato, ac restituto Deo, ejus in locum sublegitur, et pontifex declaratur Leo XII. Ipse anno praedicto die prima novembris rescripsit episcopo, cathedralis translationem in divi Augustini aedem confirmasse. Tum episcopo nihil prope fuit antiquius, quam ut templum id, quod in tota dioecesi longe omnium maximum esset, dignitate exornatum esse videretur. Itaque totius operis forma confecta, ornata et sacello, quod a sanctissimae eucharistiae sacramento nomen habet, privata impensa ab equite Joanne Baptista Collio erecto; suum in omnes episcopus Ranghiascius cultum prae se tulit.

Mortuo haec inter archidiacono Parteguelfio, quem paucis his verbis prosequi volumus tamquam testibus nostrae in éum voluntatis, et muneris praestanti integritate acti; Leo XII. in ejus locum praefecit Camillum Margarutium virum praestantem, qui archipresbyterum gerebat. Hinc episcopus novum divi Augustini A. C. pontificale templum anno 1827. die 29 junii 1827 solemnibus caeremoniis dedicandum curavit; et die decima quinta augusti universum canonicorum ordinem inibi transtulit. Dein Leo con-

A. C. stitutioni Benedictinae rursus inhaerens anno
1828 1828. die 22 augusti imperavit, ut sancti Severini templum franciscalibus minoribus reformatis addiceretur. Literas ea de re cardinalis Carolus Odescalchius conceptis verbis dedit episcopo, qui die tertia novembris ejusdem anni apostolica jussa confecit, perantiqua aede maxima *concathedralis* titulo honestata.

V.

De Clericorum Seminario.

Auspicata literarum tempora, quae Eugenius IV., et Nicolaus V. bonis artibus procuraverant, nonnisi sub Leone X. rediere, cujus insigne erat erga liberales disciplinas studium ab atavis, Cosmo proavo, et Laurentio patre haustum. Praedecessores enim Pontifices gravissimis curis, bellisque impliciti augendae rei literariae incumbere minime potuerant. Et quamvis sub Clemente VII. res publicae denuo turbatae essent; diuturna tamen non fuit literarum calamitas, et sub Pontificibus successoribus omne disciplinarum genus publice tradebatur. Id Tridentini patres, ad Ecclesiae, et bonarum artium instaurationem nati, augere, et ornare pro viribus laborarunt, dum legem ipsi tulere, ut clericorum Seminaria excitarentur. Ne tanto igitur bono cives nostri carerent, studium omne in illud posuere. Et nos hic edocebimus, quae origo, quae vicissitudines Seminarii Septempedani fuerint.

Berardi Bonjoannis episcopi Camerinensis studium in res nostras cognitum habuerunt cives, ex quo Rhanusii Farnensis Picentum legati negotia procurabat, et a Pio IV. ad Sigismundum Augustum Poloniae regem missus ea (1) gerebat, quae ad futurum concilium pertinerent. Sed ipse tum, quae suae erant partes, in ornandis nostris eas implevit, cum ex sacro Tridentino conventu ad sedem reversus perquam diligenter curavit, ut Clericorum Seminarium inter nos institueretur. Jure itaque in laude versabitur id, quod ipse suo
A. C. 1566 cum diplomate lato anno 1566 die 27 julii hac in re providentissime constituit (2).

Multa de ejusmodi ephebeo patriae viri in curiam conventi (3) anno superiore erant locuti. Imo illius splendorem (4) aere publico amplificare ipsi duxerant, ut ea episcopi auxilio, et oppidi commodo accederent incrementa, quae abbati santi Laurentii, Lucae Tardolo, Guillielmo Severano, canonicis templi maxi-

(1) Ughellius de episcopis camerinensibus.
(2) Ex tabulario capitulari.
(3) Ex lib. reform. ann. 1565. 12. augusti.
(4) Ex lib. cit. ann. 1567. 7. aprilis.

mi, Æmilio Vannutio, Burghesio Fattorinio, Marco Antonio Nutio, Metello Talpa, Fabio Lazzarellio ; Marco Antonio Margarutio, (1) nunciis ad Berardum missis ad perficiendum illius statum, deesse viderentur. Et quae sane partim in firmando Seminarii ordine, partim in facultatum accessione consistere ipsi intelligerent; ea tunc studiose praestare non omiserunt. Quare eis commodare de aede, et templo ss. Salvatoris extra moenia canonici ecclesiae nostrae voluerunt. Dum ita alter videbatur vinci ab altero in officio noluisse; profecto omnibus pergratum evenit presbyteros nonnullos conspicere eumdem in locum convenire, et sub eorum procuratione clericos A. C.
in disciplinam se tradere anno 1569 (2). 1569

Hac in re maxime (3) enituit Camillus Severinius Genesinus, qui in humanioribus primum valde eruditus evaserat, gravioribus deinde studiis intentus Neapolim concesserat, ubi

(1) Ex diplomate Berardi ep. cam. servato in archivio capitulari.

(2) Ex mss. Felicis Achillaei apud Josephum Ranaldium.

(3) Ex eodem loco.

de se egregium periculum praebuerat. Et quia huic plurimum deferebat Antonius Talpa; ubi in patriam ex Spoletana praetura ipse remeavit, clericum induit, et in collegio nostro insigniter claruit. Sed suis etiam virtutibus illud exornarunt Felix, et Mutius Achillaeus, aeque ac Bartholomaeus germanus frater, vitae sanctimonia admirandus. Horum exemplo Petrus Martinus Saxolinus commotus in eorum numerum se recepit. Vixerunt in eadem societate Consalvus Saladinus, Innocentius Felitius, Arsenius Talpa, Petrus Paulus Scampius, et Ferrantes Saladinus, vir morum suavitate, supra quam dici potest amabilis, qui mox a Caesare Baronio cardinale Romam adscitus fuit. Ob vero spectatam vitae rationem Severinus Tarazzanus familiam susceperat in fidem; et cives quo genere gratulationis uterentur, non satis explicatum habebant, vel habebant potius, ac plane sciebant. Nam semper optimi cujusque civis gloria cum reipublicae gloria conjuncta est: neque clara esse ulla respublica potest sine suorum civium splendore.

Et quia episcopus Berardus non poterat facere, quin canonicis commendaret clericos; nihil habuit jucundius, quam ut Seminario

esset in eorum aedibus (1) majori cum dignitate locus. Quare suis cum literis datis anno 1569 die 3 octobris negotium Priori, et capitulo diligenter commendabat. Quicquid enim in Seminarii rem de opera sua erat ullo unquam tempore (2) collaturus episcopus Ariminensis, abbas commendatarius sancti Laurentii; id omne in clericorum causam abbas ipse jam conferebat. Et quidem hac in re tantum valuisset Berardus apud canonicos, quantum ipse debebat; et dedisset operam, ut eos facti nunquam poeniteret. Sed dolorem sane incredibilem ex Berardi morte perceperunt cives. Et duae erant causae, quibus commoveri omnes deberent ad luctum: una, quod oppidum parente amantissimo destitutum; altera, quod clericos patrono selectissimo privatos viderent. Itaque et nos doleamus necesse est, illius obitu maximum ephebeo praesidium non solum fuisse sublatum, verum etiam ss. Salvatoris A. C.
aedem divenditam, Seminario ipso abrogato (3). 1576

Tum fuit aequissimum, ut ab optimis ci-

(1) Vide literas Berardi ep. apud eumdem Ranaldium.

(2) Ex eodem loco.

(3) Consule caput IV.

vibus clerici nostri sententiam peterent iis in rebus, quae magnopere ad totius vitae rationes pertinerent. Quare uti tempus non defuerat Ciccolino Margarutio ad urbem venire, in divi Philippi familiaritatem (1) admitti, et in tanto ejus desiderio versari, ut, Nerio suadente, longa Ciccolino necessitudo cum divo Carolo Borromaeo cardinale esset, et Mediolani (2) hospitium vetus; ita ejusmodi vivendi consilium a Margarutio excogitatum non admirari unquam desinebant Antonius Talpa, Mutius, et Bartholomaeus Achillaeus, aeque ac Petrus Martinus Saxolinus, qui Seminarii negotiis nuntium remittentes Romam non prospectare, sed tangere cupierunt. Et haec me sane mirabiliter adhuc delectant. Tum enim ii Philippianorum societatis inter nos fundamenta ponere meditabantur, et quantum Ne-

---

(1) Baccius in vita s. Philippi lib. 3. cap. 3.

(2) Ex epistola divi Caroli Borromaei cardinalis sanctae Praxedis data anno 1584. die 23. augusti ad urbinatium Ducem. Est apud archidiaconum Camillum Margarutium perpetua me honestandi voluntate ductum, ex qua accessionem factam fuisse video iis in rebus instituendis.

rius, qui Bartholomaei Eustachii civis nostri (1) jam studiosus fuerat, eos deinceps amaret, ipse fuit optimus testis (2).

Sed uti etiam honestae postulationes auctoris cujusdam omnino indigent; Franciscus Maria Tarugius Nerium rogavit, ut Antonium in primis audiret. Quod enim Antonius postulabat, ut in presbyterorum collegio socium esse ipsum Nerius juberet, in eo Tarugio quidem videbatur reipublicae habere rationem. Et eum ad gloriam demortui ephebei nostri ita Nerius hac in re gratia sua ornavit, ut

(1) Bartholomaeus Eustachius ex oppido Sanctiseverini in Piceno, celeberrimi nominis anatomicus, praeerat cathedrae practicae medicinae, hora vespertina, anno 1561.... simul cum Hippolito Salviano.... Is primo in patria medicinam fecerat, tum protomedicum egerat apud Urbini Ducem. Sed anno 1549. Romam ductus est a cardinale Julio Roboreo ducis Urbini fratre, ubi in maximo fuit pretio, receptus in archiatrorum coetum, medicus s. Caroli Borromaei, s. Philippum Nerium aegrotantem in oratorio adiit, ut ex Baccio constat. .... Anno 1574. dum ex urbe peteret Forum Sempronii, causa curandae valetudinis Julii Roborei cardinalis, cujus medicum gerebat, obiit in itinere. — Ex opere Josephi Carafa inscripto — *De professoribus gymnasii romani* — fol. 355.

(2) Baccius in vita s. Philippi pag. 150. 256 — Fontana *La gerarchia ecclesiastica* pag. 36. 59.

intelligeret quisque, se favere hominibus pientissimis, eosque (1) muneribus cumulare. Mox

---

(1) Antonius Talpa
apud septempedanos in piceno natus
Romae inter primos s. Philippi Neri discipulos cong.
oratorii adscriptus
Neapolim ab eo ad oratorium instituendum
cum Francisco Maria Tarugio
missus
alumnos ibidem congregavit ac erexit
domum fundavit
reditus annuos acquisivit
ecclesiam duodecim columnis illustrem a fundamentis extruxit
monasterium virginum s. Josep. instituit
aegrotos zenodochii quotidie visitandos
ac liberalitate reficiendos primo curavit
plurimaque alta sempiterna laude digna vivens perfecit.
Summa clarus in rebus omnibus animi tranquillitate
in arduis fortitudine
in secundis modestia
in adversis longanimitate
mira in negotiis dexteritate
insignis prudentia judicio singulari
ardentissima in proximos benevolentia
in superos pietate
in Deum religione
totus Dei totus congregationis obiit Neapoli anno 1624
die 14. januarii
vixit annos 88. menses 9. dies quatuor
in congregatione quindecim Romae, Neapoli 38.
Consule Hieronymum Talpa in hist. septemp. mss. lib. 6.

idem Tarugius Petro Martino optime satisfecit, et in eum postea oculos conjecere Mutius, et Bartholomaeus, quibus nihil optabilius contingere potuit, quam Philippum habere pietatis, et consiliorum veluti socium (1).

Dum haec Romae agebantur, nullum boni civis officium praetermittebat Laurentius Laurus, ut nihil Camillo Severanio, Arsenio Talpa, aliisque jam Seminario mancipatis deesset ad eorum profectionem (2) in sacram Majestatis aedem, ubi non domesticis curis, non publicis, non amicorum officiis a pietatis, literarumque studio interpellarentur. Sed mox propter hospitii infrequentiam mutarunt consilium, et occasionem nacti seorsum lares tetigerunt nauseantes. Sed illis molestiam omnem abstersere Bartholomaeus, Mutius, et Petrus Martinus, qui in patriam reversi ad clericos instituendos prope ecclesiam divi Benedicti (3) accademiam Floridae nuncupatam aperuerunt, prima societatis Philippianorum semina jacientes. Hoc tamen in ludo valde omnium civium

(1) Ex lib. diversorum Mutii Achillaei alias relato.
(2) Ex citato mss. Felicis Achillaei.
(3) Coluccius ant. pic. vol. 6. pag. LVII.

sermone laudatus fuit Joannes Severanius, de cujus ingenio, doctrina, probitate sermo redibit.

Haec inter datus, qui praeesset Ecclesiae,
A. C. Felix Perettus Cardinalis a Montealto, qui Sixti
1585 V. nomen assumpsit. Vir in omnibus fere scientiis eruditus, et a musis minime (1) alienus omnimodam in Ecclesiae ditione literarum curam gerebat. Quare nullus de rebus et nostris fuit eo studiosior. Imo civium gloriae ardentius prospiciens, ex quo (2) Ferrantes Eustachius Bartholomaei filius nonnulla ei nuncupaverat, civibus ipsis praecepit, ut eorum munus esset tuendi abrogati Seminarii jura (3). Mandato sibi muneri episcopus Martiarius satisfaccre aggressus quidem fuit. Sed omnis labor impensus incassum cessit ei, et duobus (4)

(1) Carafa de professoribus gymnasii romani pag. 453.

(2) Ferrantes Eustachius Bartholomaei filius, et ipse medicus collegii, alter medicinae practicae professor ab anno 1581. per annos novem. Docuerat in maceratensi gymnasio medicinam. Edidit *disputationem de vitae humanae a facultate medica propagatione*, quam Sixto V. pontifici maximo nuncupavit — Carafa ex opere relato pag. 358.

(3) Consule bullam hac de re editam a Sixto V.

(4) Ex relatione ad Limina ann. 1634.

episcopis, qui ei in praesulatu successerunt. Ubi vero antistes Maidalchinus cognovit a Philippianorum societate homines literatos recenseri, constituit reipublicae causa eam societatem convenire, ut aliquid afferre adjumenti clericis posset. Sed cum improvisis Cardinalis A. C.
Carafa literis datis anno 1649 die 28 martii 1649
episcopus impulsus statuisset Seminarii (1) res conficere; negotium omne Philippianis tradidit. Et uti nihil non modeste cupiebat episcopus, A. C.
nihil non verecunde; curavit, ut anno 1658. 1658
die 26 decembris clericis Seminario instituendis locus esset (2) ad tempus inter presbyteros recensitos. Et id quidem tum fuit proprium civium pientissimorum. Nam Priamus Benius ad augendam urbis nostrae dignitatem scientiarum, et bonarum artium studiis, anno superiore pridie nonas novembris constitui oportere literariam Agitatorum rempublicam fauste quidem cogitaverat sub auspiciis Antonii Barbarini cardinalis. Et utinam eorum similes in republica multos viros haberemus! (3)

(1) Ex libro decretorum curiae episcopalis.

(2) Ex actis Joannis Francisci Saccarellii.

(3) Penes Josephum Ranaldium vide Agitatorum acta,

Imo quia tunc deerant profecto, qui, ut multa saepe alia ejusmodi, sic etiam supervacaneam esse hanc ipsam operam putarent; cives (1) in Almontem Ciatium oculos conjecere, quibus tunc satisfecit, cum Seminarii rem familiarem auxit, eique aedem, quae in urbe prope nundinarum januam inspiciebatur, dono dedit. Sed mox facile sibi persuasit episcopus, se clericis rem gratam esse facturum, si ex Ciatiana mansione ad aliam pontificali templo (2) proximiorem eorum societatem transferret. At dum opus Maidalchinus assiduis votis prosequebatur; maximum sui desiderium relinquens decessit. Sed brevi cives gaudio fuerunt affecti
A. C. ex iis rebus, quas ab Ignatio Achyllaeo anno
1686 1686 die 22 januarii acceperunt, quibus clericis ipse significabat, quam humaniter in eos (3) beneficium contulisset. Et haec scripsimus, ut scirent posteri, Ignatium nedum egenti ephebeo uni opem praestitisse, aede sua testa-

---

et signum cum verbis — *Acad. Agitatorum s. Severini — potius augent* —

(1) Ex relatione ad limina ann. 1659.

(2) Ibi.

(3) Ex rogitibus Joannis Baptistae Vilimbenii.

mento legata, sed et dioecesi etiam. Nam nec est quicquam tam proprium bonorum civium, quam benefacere quamplurimis.

Oportunum tamen auxilium Deus non afflavit episcopo Nigrellio, ut cum juribus se- A. C.
cessus (1) divae Mariae Magdalenae anno 1689. 1689
abrogati, aliisque sacerdotiorum fructibus opus tam pium ad majus publicae utilitatis incrementum assurgeret. Sed cives, si ad ephebeum aliquid erat addendum de praefectura cardinalis Petruccii episcopi Æsini, sibi tum facile persuaserunt, Maidalchinum Seminarii pa-
tronum minime decessisse, cum ipse, Inno- A. C.
centio XII. jubente, anno 1694. adfuit inter 1694
nos, et die decima tertia septembris tam praecipua (2) hac de re capita perstrinxit, ut viderent omnes hoc in loco, non rempublicam pro Pontifice agere solummodo velle eum, sed etiam philosophari. Cum primum vero episcopalem hanc sedem Alexandro Calvio delatam esse gratulata fuit civitas, cognoverunt omnes, vel una ex Seminarii parte, quam ve-

(1) Ex relatione ad Limina ann. 1689. et 1692.

(2) Ex visitatione Petrucci f. 21. et 40.

A. C. ram habuissent causam gratulandi. Nam an-
1705 no 1705. die octava julii eidem perpetuo consuluit fructibus societatis, quae (1) a diva Barbara nomen habebat, et in recensitam
A. C. Ignatii Achillaei aedem anno 1714. Seminarium
1714 transferendum duxit. Et hoc episcopo Pieraugustino auspicatius etiam evenit. Nam occasionem istam arripuit, ut curam omnimodam (2) Seminario posset inscribere. Quare id minime desiderandum reliquit, quod opportunius reperiretur ad pueros cum omni honestate imbuendos, tum etiam optimis artibus erudiendos.

At non satis mihi videor posse ullis verbis testatam episcopo Vignolio facere magnitudinem laetitiae meae; quoniam eum operam dedisse scio, ut esset inter nos historiae ecclesiasticae academia, quoddam quasi atriolum, in quo se appararent ii, qui ad intimos theologiae adytus erant admittendi; et clericos ab antistite Forlanio confirmatos esse in ea vitae ratione (3) valde quidem gaudeo. Neque enim

(1) Ex visitatione episcopi Calvii.

(2) Ex Synodo episcopi Pieragostini.

(3) *In septempedana s. Severini hist. sacrae academia.* Fulginei 1761.

verebatur ipse, quin ea de re voluptatem, atque fructum et caperet ipse, et reipublicae daret, afferretque prudentia, ac sapientia sua. Et iter sane patefactum fuisse ad laudem clericis video; sed reliqua haud peperit, haud accumulavit dies, etsi viris bonis artibus, et liberalibus disciplinis instructis, scientiisque informatis placuisset deinde Aborigenum potentinam coloniam inter nos constituere, cives in eam sodalium nomine adscribere, legesque (1) A. C.
omnium consensu rogare anno 1782. die 9 1782
Aprilis.

Sed episcopus Anselmius collegium hoc nostrum praecipua quadam voluit charitate complecti. Et haec quidem res nihil civibus novae voluptatis attulit: nam ita futurum existimabant, non conjectura ducti, sed certa quadam opinione animi, ac judicio maximis illius in rempublicam meritis confirmato. Ista tamen episcopi declaratio voluntatis erga res literarias omnibus ordinibus jucunda sane fuit. Et A. C.
patriae viri in curiam conventi anno 1793. 1793

(1) Aborigenum coloniae potentinae acta, et signum cum verbis — *Aborigenum colonia potentina* — *Jacco sed curro* — extant penes laudatum Ranaldium.

die 17 martii audierunt, Antonium Servantium comitem; (1) domum ex Lucensi praefectura reversum, auctorem primum esse de scholis publicis Seminario uniendis. Neque illud praetermittam, quantam cives tunc voluptatem ceperunt ex literis (2) Cardinalis Carandini boni regiminis praefecti rem latissime confirmantis. Sed omnibus nuntiis, quae Seminarii curatoribus afferri eo tempore potuerant, longe gratius fuit id, quod est ea de re a Francisco Maria Lutio Subdatario (3) ad episcopum

---

(1) D. O. M.
Antonio Servantio patric. septemp. comiti J. C.
jud. adpell. Fabriani praet. Tiphernat. Tiberin. Lucae
V. Q. viro stlit. jud.
Septempedae sub duobus Praesul. PP. et jud. ordinario
patriae legato Tolentinum Pio VII. P. O. M. pro felici red. gratulando
V. claro docto integro religioso avitae virtutis aemulo
patruo de se opt. mer. Raphael comes Servantius ex A. H.
cum lacrumis titulum honorarium P. C.
sodales dominiciani L. dd.
ob. III. kal. oct. MDCCCXXII. v. a. xcvi. m. ii.
dep. in aedicula Antoniana ad villam Servantiam.
Prostat in aede dominiciana.

(2) Ex lib. cons. ann. 1793.

(3) Franciscus Maria Lutius patricia nobilitate septempedae natus. Firmum primum, mox Romam profectus ad omnem

perlatum, Pium VI. suis cum literis datis apud sanctum Petrum anno 1794. VI. idus martii prioribus Seminarii juribus perampla sacerdotia addixisse (1). A. C. 1794

Tum nihil accumulatius contingere unquam potuit antistiti Anselmio, summi ingenii, summaeque eloquentiae viro, quam occasionem alteram nancisci, qua suum in bo-

---

pietatem, et ad optima studia mirifice institutus est; diligentia, sedulitate, mansuetudine ingenii jam tum commendatus. Ubi Riminaldius, ac Bussius inter XII. viros litibus appellationum judicandis fuerunt cooptati, eorum adjutor extitit. Neapolim ad Siciliarum regem a Clemente XIII. internuncius missus rem sacram apprime juvit studio religionis, suavitate morum, et laude prudentiae. Dictus ab eodem Pontifice episcopus Reatinorum, mox Carpentoractensium a Pio VI. dignitatem forti animo respuit. Canonicatu basilicae liberianae auctus, et praesul urbanus, et pro-magister beneficiis dandis, adtribuendisque renunciatus officium a nemine suum desiderari passus est. Ingruentibus rei christianae periculis, fide in Pium VII. immobilis obiit Septempedae idibus julii anno 1812. annum agens nonagesimum quartum, inopia egentium sublevata, expectatione omnium sustentata, et expleta. Aloysius et Bernardinus ex marchionibus Votalarcae, fratris filii, patruo de se benemerenti titulum in Laurentiana aede nostra posuerunt.

(1) Ex tabulario episcopali.

narum artium studium aliqua magis illustri animi significatione posset testari. Itaque Seminarii tutelam clarissimae clericorum regularium sancti Pauli societati duxit concredere, ac ita bona copulare, ut ei onus esset cuicumque Seminarii defectui supplendi. Et primum quidem Pio VII. gratum fuit, quod de ipsa divi Pauli familia tam honeste episcopus et loqueretur, et sentiret: mox, quod apostolicam auctoritatem antistes rogaret, ut in moderatorum Seminarii subrogatione per Pontificem promulganda, Pontifex ipse ephebeum, et jura eidem societati concrederet. Et
A. C. quia Pius Venetiis tunc erat, scripsit episco-
1800 po hac de re perquam diligenter anno 1800. die 24 maii. Habuit praesul primum etsi tenue, sincerum tamen laetitiae testimonium, cum totius Seminarii nostri, tum praesertim civium qui gymnasium ei obtulere omnino uniendum. Hoc quoque ad optatum finem perducto, nihil aliud in tam absoluta literarum instauratione erat optandum, quam ut posteritati per titulos, memoresque fastos tradere-
A. C. tur munificentia Petri Jacobi Scina-Genti-
1802 lii marchionis, qui anno 1802. die 3 maii Seminario dono dederat aedem magnificam,

et sumptuosam, ut juvenes habitarent cultius (1).

Sed jam tempora extabant illa, in quibus omnes nullis non affectam injuriis deplorabant Ecclesiam. Et nos ideo perturbari etiam studia tumultu bellico, convellique Seminarii jura permoleste sane tulimus. Ubi vero nonnullis civibus bonarum artium studiis incensis renunciatum fuit, Pium VII. ex laboriosa profectione gallica Romam multa cum laude sospitem rediisse; ad Seminarii jacturam reparandam, cardinale Caesare Brancadoro Archiepiscopo Firmano literarum patrono usi fuerunt. Eorum enim sententiam de Philopistarum academia excitanda probari ab ipso vehementer laetati sunt. Mitto voluptatem illam, quam quidem cepi ad acta curanda academiae provectus, cum in sodales viros clarissimos, quos inter Honuphrium Minzonium, cooptari in primis cognovi.

Haec inter Jacobus Ranghiascius Brancaleonius ad infulas nostras evectus, Seminarii adsertor studiosus habitus fuit. Et quidem val-

(1) Ex actis Joannis Antonii Gentilii-Ave pater mi optime, desideratissime, salve, atque aeternum vale.

de Pius VII. suis cum literis datis anno 1817 IV. nonas maii eum delectavit. Seminarii etenim res familiares fractas exhilaravit Pontifex, et tantum stipis e sacerdotio ad Castrum sancti Petri curari ei fecit, quantum clericis satis perpetuo esset. Mox patrocinio Leonis XII. fultus pro votis assequi non praetermisit divitem censum, cum quo theologicae disciplinae traderentur. Mox anno 1828. die 5. januarii novum episcopi contentionis specimen comiter excepit Leo, qui in mandatis dedit Belisario Cristaldio Quaestori suo, ut uberius Seminarii incommodis consuleret. His de rebus tam praeclaris habe et nunc, optime pontifex, si quicquam cogitationum humanarum in te relictum, si tuorum curam adhuc geris, habe hoc qualecunque sit grati animi nostri pignus; et si nihil reperis in eo, quod tuae dignitati respondeat, offerentium saltem voluntatem ne dedigneris. Eosdem vero sensus exprimere alumnorum semper erit in episcopum Ranghiascium, et pueri inibi cooptandi ab utroque parente semper haurient, atque animo imbibent.

Caeterum hunc librum mihi conscribenti, in quo matutinae operae multum insumsi,

Joseph Ranaldius quamplura suppeditavit. Quare, ut ei gratum animum aliquo saltem modo tester, civibus persuasum volo, ejus humanitatem omni aevo in memoria, et sensibus gratam, et jucundam insessuram meis. Nihil insuper omnino est, quod Germano Margarutio, et Severino Servantio Collio comiti jam non debeam, qui me aliis suavissimis monumentis ornarunt. Reliquum est, ut duobus in sequentibus libris de virorum, ac mulierum institutis, quibus nostrae dioecesis claustra ante et post cathedrae instaurationem fuerunt decorata, de caelitibus sanctis, et de episcopis disseramus. Interim si acciderit, ut hisce scriptis uti velint saltem cives; efficiam profecto, ut eorum erga me amori satis esse factum existiment.

INDEX CAPITUM

LIBRI PRIMI.

IMPRIMATUR

Fr. JOANNES MATTAEUCCI Ord. Praed.
S. Th. Mag. et Vic. S. Officii.
Maceratae die 30. *Junii* 1836.

IMPRIMATUR

STEPHANUS Can. GAMBINI Pro-Vic. Gen.
Maceratae die 3. *Julii* 1836.

NOTA

di alcune Opere stampate di recente nella Tipografia di Alessandro Mancini in Macerata.

Cremani A. - De Jure Criminali cum adnotationibus Vincentii Busatti Advocati Senensis in 8. Tom. 4. 1836 - Sc. 3 50

Heineccii - Elementa Juris Civilis cum notis integris Joan. Geor. Estoris aliorumque doctissimorum Virorum animadversionibus Summariis, et Indice ad exemplar Neapolitanum, Venetum, et Giessense collata. in 12. Tom. 2. 1837 - „ 1

Fontana A. - Manuale per le sorvegliatrici e per le assistenti nella Pia Opera di S. Dorotea. 1836 „ 15

Dei diversi stati che le Donzelle possono abbracciare e principalmente del Celibato coll'aggiunta di un discorso di S. Alfonso De Liguori. 1836 „ 25